M. CORNELII FRONTONIS OPERA INEDITA CUM EPISTULIS ITEM INEDITIS...







·M· CORNELII FRONTONIS

ET ALIORUM ALIQUOT VETERUM

OPERA ET FRAGMENTA

INEDITA

Fronto romanæ eloquentiæ non secundum sed alterum decus.

Eumenius *Panegyr. Constantii Cæs. Cap.* XIV.

·M· CORNELII FRONTONIS

OPERA INEDITA

CUM EPISTULIS ITEM INEDITIS

ANTONINI PII ·M· AURELII ·L· VERI

ET APPIANI

NEC NON ALIORUM VETERUM FRAGMENTIS

INVENIT

ET COMMENTARIO PRÆVIO NOTISQUE ILLUSTRAVIT

ANGELUS MAIUS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ A LINGUIS ORIENTALIBUS

PARS PRIOR

MEDIOLANI

REGIIS TYPIS

MDCCCXV



IACOBO COMITI MELLERIO

IN REGNO LONGOBARDICO-VENETO

DITIONIS MEDIOLANENSIS

PRO PRÆSIDE

Ii vere omni mihi laude cumulati videntur, qui cum vitæ innocentia et patriæ caritate studia quoque eruditionis semper coniunxerunt: qui favent hominum ingeniis, commendant eorum laborem, conatus iuvant, artes denique liberales ac litteras elatas

florentesque cupiunt. Atque hæc certissima optimatum virorum ornamenta cum in multis huius inclytæ Patriæ civibus, tum in te, Vir eximie IACOBE MELLERI, cum singulari animi voluptate mirari soleo. Meum autem esse æquissimum de tua doctrina atque humanitate iudicium, nuper etiam luculenter cognovi, cum Frontonem romanæ eloquentiæ nobilissimum decus ad te ineditum detuli. Neque enim tantum Oratorem mirabundus solum ac lubens aspexisti, sed lux quoque liberalitatis ac sapientiæ tuæ edendo Operi in vulgus statim oborta est. Quippe ego, quoniam ad huius thesauri caput fortuna duce delatus eram, nolebam profecto

committere, ut, eo rursus recondito, in sermonem hominum ac vituperationem venirem. Quomodo enim de litteraria republica bene meritus essem, si tam excellentem Auctorem diutius in tenebris latere voluissem? Sane quum Tullii litteræ iampridem conticuissent, et romanum forum voce satis eloquenti careret, Cirta se demum iste Orator extulit, cuius lingua, ceu parente elocutionis, nova est disertorum concio procreata. Porro Frontonianæ facundiæ tanta fuit virtus et eminentia, ut, vel amissis omnibus in quibus ea exsultavit Scriptis, tanti tamen Viri gloria per media sæcula quasi quadrigis ad nos usque volaverit. Nunc quoniam longissimo postliminio

Scripta ipsa Frontonis sese in lucem restituunt, habes, Vir clarissime, munus a me cum per se egregium et magnum, tum ad tuum ingenium doctrinam studiorumque rationem mirifice idoneum. Cirtensem igitur Oratorem maximi Arpinatis Fragmentis, quæ sub tuo item auspicio nuper prodierunt, ita velim adiungas, ut in latina eloquentia, Tullio excepto, nihil Frontone præstabilius existimes.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

PARS I.

DE VITA ET SCRIPTIS

·M· FRONTONIS

I. Næ ego meis studiis exiguis totique reipublicæ litterariæ magnopere gratulor, quod antiquum Scriptorem fama celebrem, doctrina præstantem, votis omnium expetitum a diuturno summoque interitu ad vitam mihi revocare contingit. Scilicet erat optandum maxime ut post repertas et editas Ciceronis reliquias, is deinceps prodiret e tenebris, qui proximos huic occupavit eloquentiæ honores. Id autem desiderium, detectis nuper Frontonis scriptis, cumulatissime nobis expletum est. O præclarum antiquitatis studium, commemorandasque Bibliothecarum divitias! quæ doctorem Cæsarum sapientissimum, oratorem summum, gravem historicum, philosophum perfectum, grammaticum castigatissimum, epistularum ludicrorumque scriptorem politissimum, latinæ græcæque

Quanti intersit scriptorum Frontonis inventio.

litteraturæ auctorem egregium, miserrimo excidio iamdiu ereptum, cælesti nunc munere in lucem reducunt.

Iamdiu deperdita Frontonis scripta nunc demum in Ambrosiano Palimpsesto deteguntur.

II. Frontonis quidem in Veterum libris tantum memoriæ ac famæ supererat, quantum ad eius desiderium ardentissimum excitandum sufficeret; adeo porro eiusdem pæne omnes lucubrationes perierant, ut in deperditorum Auctorum numero prorsus haberetur. Nunc mihi denique tantus Auctor in Ambrosiano Palimpsesto deprehensus est: grandis equidem materia et viginti circiter libros implens: multam tamen abesse adhuc sensi, multam oblitteratam indolui. Nam pleræque Palimpsesti paginæ ad spem magnifica specie, ad fructum nullo exitu. Hem male habita summi hominis scripta! hem labores dissoluti atque perditi! Quo ego damno etsi vehementissime perturbarer, pars tamen utcumque incolumis adeo me cepit, ut nullam mihi quietem mentis aut operis indulgendam putaverim. Præsertim cum Inventa mea non unius Frontonis finibus continerentur. Namque et complures trium Cæsarum clarissimorum ineditas Epistulas in Codice videram: tum Fragmenta, pleraque item inedita, deperditorum Operum Ennii, Plauti, Nævii, Levii, Cæcilii, Laberii,

Inedita scripta et Fragmenta aliorum Veterum in eodem Palimpsesto occurrunt.

Catonis, Sallustii, Svetonii, Theodori rhetoris, Chrysippi, Dionysii Tenuioris, nec non pæne integra Appiani historici Epistula, Frontonianis Operibus interiecta passim mihi occurrebant.

III. Ac quantam ego molestiam in exscribendo ordinandoque tam operoso palimpsesto devoraverim, quum de simili genere non semel locutus sim, libenter utique silentio premam, atque, ut par est, satietati Lectorum occurram. Illud reticendum non censeo, curnam ego videlicet Frontonianorum scriptorum Editionem properandam curaverim. Quum enim in Homerico Codice (cuius publicandi iamdudum fidem obstrinxi, ratamque et mature exsolutam esse volo) mens mea impense versaretur, revocabam me tamen identidem ad Frontonem, cuius post Tullium edendi non modico studio flagrabam, quum mirificam eius rei commoditatem sentirem. Accessit demum auctoritas Viri eruditissimi atque humanitate incomparabili præditi *Petri Cigheræ* Bibliothecæ Ambrosianæ Præfecti, qui eam facile sententiam præ se tulit, ut, quoniam interim Fronto divino quodam consilio mihi se gratiosissimus detexisset, Mæcenas autem amplissimus instruendo Operi impensas liberaliter obtulisset,

Cur properata Frontonis Editio.

hunc enimvero Scriptorem vel brevi moræ intervallo in latebris iacere ne paterer. Igitur ab eo tempore omne fere curriculum industriæ meæ in Frontone e deletitiis laceris perturbatisque membranis lentissima patientia exsculpendo elaboratum est. Sed hæc hactenus. Etsi enim studiorum meorum rationem publice reddere non magnopere intererat, tamen hoc tum adversus optimum Præsidem grati animi argumentum, tum conscientiæ meæ testimonium exstare volui.

Fronto patriâ Cirtensis.

IV. Nunc Frontonis vitam scriptorumque genus, quantum mihi cognoscere licuit, explicabo. Venustissimus Scriptor atque elegantissimus Fronto natione Libys fuit, patria Cirtensis. Neque enim omnes latinæ linguæ flosculi in ipsa Italia nati sunt. Nam, ut alios sileam, Phædrus in Thracia (1) genitus, Terentius Carthagine, romanos ipsos indigenas docilitate ingenii et sermonis latini suavitate superaverunt. Et de Frontonis quidem patria satis ante nostram Editionem constabat. Namque in Dialogo apud Minucium Felicem Orationem Cirtensis sui adversus Christianos

(1) Phædrus communiore sententia Thrax. Ceterum vide maximum Phædri interpretem et ampliatorem Cataldum Ianellum in Dissert. de huius Vita Cap. I. *Phæder* autem non *Phædrus* videsis in nostra Editione p. 65.

laudat Cæcilius (1) cui respondens Octavius (2), *Tuus*, inquit, *Fronto non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit.* Quem Minucii locum Interpretes plerique omnes ad M. Aurelii Magistrum retulerunt. Ceterum, ut sunt hominum ingenia partium studiosa, Galli multi Scriptores oratorem Frontonem Aquitaniæ suæ vindicare conati sunt (3). Quorum argumenta per se futilia, et in notis ad Baylii Lexicon diligentissime confutata (4), a Tiraboscho item irrisa (5), iam proferre non interest, vel diutius in hac quæstione versari, cum ipse Fronto in Epistula secunda græca (6) Libem se dicat; in Epistula autem sexta alterius Libri ad Amicos Cirtensem adeo se civem satis certo significet (7). Etsi autem Cirtensis est Fronto, maternum tamen genus ab urbe Bœotiæ Chæronea traxisse videtur.

(1) Minuc. Felix Edit. Lugd. Batav. 1709. Cap. 9.

(2) Cap. 31.

(3) Savarus ad Sidon. Apollin. Epist. 21. Lib. 4. Nicasius *Explication d'un ancien Monument trouvé en Guienne.* Edit. Paris. 1689. p. 14-15. Longocampus *Tableau Historique* etc. Tom. 1. p. 142. Auctores Historiæ litterariæ gallicanæ Tom. 1. p. 283. aliique Galli ibidem laudati.

(4) Art. *Fronton.*

(5) *Storia della Letteratura Italiana.* Edit. Mutin. 1787. Tom. 2. p. 308-309.

(6) Editionis meæ p. 410.

(7) Editionis meæ p. 171.

Perdoctus enim et satis antiquus auctor Ioannes Sarisburiensis ait (1) quosdam existimasse Frontonem, qui Marco imperatori magister præfuit, Plutarchi fuisse nepotem. Ceterum etiamsi Sarisburiensis vera fortasse narrat de Frontonis nostri materna origine, perperam tamen is ad eumdem refert (2) Iuvenalis verba (3):

» Frontonis platani convulsaque marmora clamant ».

Iuvenalis enim antiquior est quam ut de Marci imperatoris magistro loqui videatur.

Frontonis nomina Plures item Frontones recensentur.

v. Oratoris nostri prænomen fuit *Marcus*, nomen *Cornelius*, cognomen *Fronto*. Nomen quidem *Cornelii* tribuitur ei ab Inscriptione Pisaurensi (4), Gellio (5), Dione (6), et Capitolino (7). At in nostro Codice constanter dicitur

(1) In Polycratico Lib. 8. Cap. 19. Obiter autem noto, Apuleium quoque Madaurensem, matrem habuisse ex inclyti illius Plutarchi genere ortam, ut ipse de se scribit in Metamorph. Lib. I. sub initio. Tum Sextus philosophus eiusdem Marci imp. magister, Plutarchi item nepos fuit, testibus eodem Apuleio loc. cit. tum Eutropio Lib. 8. et Capitolino in *Marco* p. 33. C.

(2) Operis nuper laudati Lib. 8. Cap. 13.

(3) Satyr. 1. v. 12.

(4) Videsis eam in Editione mea p. 200.

(5) Lib. 19. Capp. 8. 10. 13.

(6) Lib. 69. Cap. 18. et Lib. 71. Cap. 35.

(7) Historia Augusta Edit. Paris. 1603. in *Marco* p. 33. A. in *Vero* p. 52. A.

M. Fronto, uti semel a Sidonio (1) et bis a Gellio (2). Reliqui fere Scriptores *Frontonem* unice nuncupant. Et Frontonum quidem nomen multo olim nobilissimum fuit. Nam et nonnullos in fastis Frontones consules, et multos in Inscriptionibus Historiaque, præsertim Augusta, videas splendidissimis titulis decoratos. Neque tamen tam claram Frontonum sobolem una patria genuisse videtur. Nam præter Cirtenses, unde noster ortus est, Pergameni Frontones memorantur ab Aristide (3), Emiseni a Suida (4), Aquitani a Sidonio (5) nec non in rescripto quodam Gordiani imperatoris (6). Tum inscriptio Frontonis II. viri Enonæ reperta (7) Dalmatas quoque Frontones exstitisse innuit. Adde, si coniecturis uti libet, Frontones etiam Phaselitenses, quoniam Fronto Phaselidis Episcopus Concilio Chalcedonensi interfuit (8), cuius nimirum Concilii Actibus palimpsesto nostro superiectis, Frontonis

(1) Epist. 10. Lib. 8.
(2) Lib. 2. Cap. 26. Lib. 13. Cap. 28.
(3) Genethliac. Apellæ.
(4) Vocab. φρόντων.
(5) Epist. 21. Lib. 4.
(6) Cod. Iustinian. Lib. 10. Tit. 38. Leg. 2.
(7) Thesaur. Antiquit. et Hist. Sicil. etc. Tom. 14. Inscript. Dalmatic. p. 38.
(8) Collect. Concilior. curante Mansio Tom. 6. p. 575.

Cirtensis Scripta miserrime perierunt. Adde postremo Mediolanenses, siquidem sæculo post Ch. N. sexto Frontus seu Frontonus Mediolanensem Pontificatum nullo iure usurpatum undecim annis tenuit (1). Nequid dicam aut de Frontone monacho qui Nitriensi (vel Cappadoci) eremo, Antonino imperante, præfuit (2): aut de Frontone quem Hieronymi Martyrologium in Africa pro Christo cæsum narrat (3): aut de Frontone, quem eadem de causa Cæsaraugustæ illustri morte multatum Prudentius canit (4): aut denique de aliis multis Frontonibus, quorum indicem texere nihil interest.

Ubinam Fronto eruditus sit, non constat.

VI. Iamvero ubinam gentium puerilis ætas Frontonis nostri litterarum doctrinis impertita sit, nullo probabili argumento definire queo. Hoc unum scio, eum Magistro usum esse Dionysio Tenuiore, de quo quidquid a Veteribus vidi traditum, ad Fragmentum VI. Libri I. *de Orationibus* sedulo collegi (5). Atque Apuleium quidem gentilem Frontonis et æqualem Carthagine, Athenis, et denique Romæ

(1) Vide Saxium *Archiep. Mediol.* Tom. I. p. 190.

(2) Nitriensis Abbas dicitur hic Fronto apud Bollandum ad diem 14. Aprilis Verum in Cod. Ambrosiano (A. 266. part. inf.) dicitur Cappadox.

(3) V. Bolland. ad diem 14. Martii.

(4) Peristephan. Hymn. 4. v. 154.

(5) Editionis meæ p. 240.

Numidarum litteratura.

doctrinis liberalibus studuisse cognovimus. Neque tamen Cirtæ in ipsa natali urbe non quam optime erudiri Fronto potuit. Cirta enim ampla urbs et dives, Numidarum metropolis, Massinissæ aliorumque deinceps regum nobilissima sedes, studiorum quoque adiumentis abundavit (1). Numidas ipsos reges re litteraria delectatos probe constat. Namque Manastabalem græcis litteris eruditum narrat Livius (2): Micipsam, accersitis Cirtam doctissimis Græcis, mirifice ingenium excoluisse, atque in omni disciplinarum genere, et præsertim philosophia, consenuisse auctor est Diodorus (3): Denique Iubam II. Numidæ regis filium, litteratissimum facile regum omnium accepimus, eumdemque plurimis scriptis inclaruisse exploratum est. Numidas æquales suos eloquentissimos Aufidium Victorinum generum, et Servilium Silanum, et Postumium Festum ipse Fronto commemorat (4). Quibus

(1) De Numidarum litteratura bene meritus est Antonius Turrianus Hispalensis, qui edito mediocris voluminis Commentario Venetiis 1789. partem hanc eruditæ Africæ cœpit, ut utar Tullianis verbis, *in bono lumine collocare.*

(2) Epitom. Lib. 50.

(3) Excerpt. de V. et V. Tom. 2. Lib. 34. p. 607.

(4) Epist. 6. Lib. 2. ad Amicos.

adde, præter iam laudatum Apuleium, Eutychium Proculum Siccensem M. Aurelii in re grammatica præceptorem (1). Sed enim ita Fronto latine loquitur, ut, non secus ac Terentius et Phædrus, in ea urbe educatus videatur, in qua domicilium latinitatis fuit: lepos quippe romanæ linguæ nativus quodammodo, non adscitus, in eo est.

Fronto Hadriano imperante summus orator.

VII. Verum ubicumque demum studiis suis Orator noster obsecutus sit, Dio quidem ait (2), *Cornelium Frontonem* Hadriano imperante eloquentiæ principatum Romæ tenuisse. Quo loco Dio sine dubio Frontonem nostrum denotat: nam et ubi M. Aurelii doctores deinceps commemorat, eorum in numero *Cornelium Frontonem* diserte recenset (3). Sequitur ergo, ut Fronto circa extrema Hadriani tempora quadragesimum fere ætatis annum attigisse videatur, quandoquidem tantam facultatem et famam consecutus iam erat. Ergo idem natus dicendus est vel Domitiano rerum adhuc potiente, vel certe Nerva ad imperium evecto: siquidem et bellum Traiani Parthicum sua memoria gestum ipse Fronto confirmat (4).

(1) Capitolinus in *Marco* p. 33. A.
(2) Lib. 69. Cap. 18.
(3) Lib. 71. Cap. 35.
(4) Principia Historiæ Fragm. 1.

Iam quo tempore forensibus fluctibus se commiserit Fronto, quo item anno amplissimum existimationis suæ fructum tulerit, duobus principibus pueris Marco et Lucio in disciplinam acceptis, qui Romæ ad summam imperii spem adolescebant; id quoque haud satis exploratum est. Ceterum teneris ab annis Marcum instituisse Fronto videtur ex loco quodam Operis *de Orationibus* (1), in quo ita is Marcum alloquitur: » Primi tui sensus et » incunabula studiorum tuorum mihi cognita » sunt. Elucebat in puero iam tunc nobilitas » mentis et dignitas sententiarum, quibus » sola deerant verborum lumina: ea quoque » variis exercitationibus instruebamus. Ibi tu » mihi videre..... eloquentiæ studium reli» quisse: ad philosophiam devertisse ». Atqui a Capitolino (2) dicitur Marcus duodecimum annum ingressus habitum philosophi assumpsisse; ergo Fronto ante illam Marci ætatem eiusdem magister fuisse credendus est. Ex tot tamen ad Marcum Epistulis nulla fere est, nisi ad eum iam Cæsarem aut Augustum, excepta fortasse Epistula prima græcarum,

Fronto M. Aurelio et L. Vero pueris magister præfuit.

(1) Lib. 2. Fragm. 3.
(2) In *Marco* p. 33. B.

quæ et titulo caret, et scripta videtur ad puerum octavo decimo anno minorem, quo Marcus Cæsaris nomen obtinuit. Porro ex clausula Epistulæ L. Veri pueri ad Frontonem (nonæ scilicet Libri I. ad Verum) plane constat, Lucio magistrum præfuisse Frontonem consulem anno, ut mox dicemus, Urbis DCCCLXXXXVI. a Lucii ipsius natalibus tertio decimo (1). Sed cunctæ item Frontonis ad L. Verum Epistulæ, et huius vicissim ad Frontonem sub imperio divorum Fratrum conscriptæ sunt, exceptâ quam nuper diximus a Lucio adhuc puero datam ad Frontonem. Ergo instituendis ad eloquentiam latinam regiis adolescentibus adscitus Fronto, hoc in primis publicum testimonium retulit, a Dione etiam confirmatum, neminem tunc in toto orbe romano exstitisse, qui secum de huiusce facultatis laude contenderet. Tum in magisterio exercendo non sensim atque gradatim ad discipulorum amicitiam adrepsit, sed brevi tempore totos

Fronto regiis discipulis mirifice carus.

(1) L. Verus natus est anno U. C. 883. aut sequente, quod colligitur ex dicto Capitolini (in *Vero* p. 52. B.) narrantis eum post septimum annum in familiam Aureliam esse traductum, nempe adoptatum: quæ adoptio quum eodem tempore quo Marci facta sit, nempe anno U. C. 891. aut 892., sequitur ut Lucius, consule Frontone, tertium decimum fere ætatis annum attigerit.

eorum animos possedit. Ei rei sunt indicio, præter Capitolinum qui tam intimæ familiaritatis facit mentionem (1), tot illæ Epistulæ mutuæ amore et suavitate plenissimæ: quibus in Epistulis miro quoque titulorum genere ab utroque Principe Fronto appellatur (2).

VIII. His doctrinæ et benevolentiæ artibus viam sibi Fronto ad honores summos munivit. Namque Antoninus Pius hominis elegantia et dignitate commotus suffectum consulem renunciavit (3). Longi sermonis initium commovisse me sentio, quo tamen quam potero brevissime fungar. Consulem Frontonem fuisse, iampridem constabat ex marmorum Pisaurensium Inscriptione sexagesima nona. Bimestrem autem hunc magistratum gessisse,

Fronto Antonino Pio imperante consul.

(1) In *Marco* p. 33. A. In *Vero* p. 52. A.

(2) Lubet eos titulos Frontoni perhonorificos hoc loco colligere. Dicitur ergo in iis Epistulis Fronto *consul amplissimus*, *magister benignissimus*, *homo sanctissimus*, *rarissimus*, *honestissimus*, *disertissimus*, *doctissimus*, *humanissimus*, *bonus*, *optimus*, *φιλόστοργος*, *amicissimus*, *dulcissimus*, *carissimus*, *iucundissimus*, *optatissimus*, *desiderantissimus*, *pulcherrima anima*, *gloria*, *suavitas*, *caritas*, *voluptas*, *maxima res sub cælo*. Uterque etiam Princeps dicunt Frontonem *spiritum et animam suam*. Tum Marcus addit, *sufficere sibi talem Magistrum habuisse*.

(3) Vide ad M. Lib. 1. Epist. 1. Lib. 2. Epist. 2. ibidemque notas nostras.

dixerat Ausonius in *gratiarum Actione* (1). Annus tamen et pars eiusdem anni, in qua consul fuit Fronto, adhuc latebant. Nunc in prima Epistula Libri primi ad Marcum semet consulem Fronto nuncupat quo tempore M. Aurelius duos et viginti annos natus erat. Tum in Epistula secunda et tertia Libri alterius ad Marcum satis aperte significat se eum magistratum eiurasse pridie Kal. Septembris. Ergo Fronto renunciatus fuerat consul Kal. Quintilibus. Constabit autem de cuius anni consulatu bimestri loquatur Fronto, si diligenter statuatur cui Urbis conditæ anno Marci annus secundus supra vigesimum respondeat. Capitolinus (2) ait Marcum natum sexto Kal. Maias M. Annio Vero iterum et Augure Coss. nempe anno Urbis DCCCLXXIV. Iamvero in ætatis supputatione extremus annus aut ponitur inceptus aut plenus. Si inceptus, Marcus quidem anno Urbis DCCCLXXXXV. Kal. Quintilibus iam abunde occeperat annum ætatis XXII., adeoque Fronto qui eius mensis Kalendis consulatum iniit, potuit esse consul anno Urbis DCCCLXXXXV. et simul Marci

Quo anno Pronto consul fuerit.

(1) Edit. Amstelod. 1671. p. 714.
(2) In *Marco* p. 32. C.

XXII. incepto. Verum si annus ponitur plenus (quod fortasse est probabilius), Marcus anno Urbis DCCCLXXXXVI. Kal. Quintilibus ætatis annum XXII. abunde expleverat, adeoque Fronto potuit ab eo termino consul esse anno Urbis DCCCLXXXXVI., et simul XXII. Marci pleno. Mihi quidem, ut dixi ad Epistulam primam Libri primi ad Marcum (1), videtur consulatus Frontonis incidisse in annum Urbis DCCCLXXXXVI. adeoque poni ibi a Frontone annus Marci XXII. plenus. Revera si anno Urbis DCCCLXXXXVI. scribendus fuisset titulus M. Aurelio, nonne is dictus esset, Kal. quidem Quintilibus, natus annos XXII. menses duos, dies sex? Secus si anno præcedente scribendus fuisset titulus, nonne iisdem Kalendis dictus esset natus annos XXI. menses duos, dies sex? Quum ergo Fronto dicat Marcum, se consule, natum annos XXII., sequitur ut eius consulatus in annum Urbis DCCCLXXXXVI. incidisse videatur. Ignoscent mihi Lectores si hac super re disserui aliquanto minutius: exemplum ceteroqui secutus clarissimorum virorum, qui de anno

(1) Pag. 36. n. 2.

adoptionis eiusdem Marci diu inter se contenderunt. Quæ gravis item quæstio, inde orta quod Capitolinus (1) Marcum adoptatum anno ætatis XVIII. dixerit, ab eo demum pendet, utrum scilicet is annus XVIII. inceptus an plenus ponendus in supputatione sit. Plenum posuisse videtur Capitolinus, qui addit adoptatum Marcum in consulatu secundo Pii (qui consulatus incidit in annum Urbis DCCCLXXXXII.), de quo sane laqueo vix aut ne vix quidem se expediunt Pagius (2), Tillemontius (3) et Silvester (4), a quibus Marcus dicitur adoptatus anno Urbis DCCCLXXXXI (5).

---

(1) In *Marco* p. 35. A.

(2) Dissert. Hypatic. Part. 1. Cap. 3.

(3) Histoir. des Emper. not. 2. ad Antonin.

(4) *Raccolta di Calogerà* Tom. 3. p. 236. et seqq.

(5) Pagius quidem ait, Capitolinum non de inito sed de designato Pii consulatu secundo loqui. Pagio fere adstipulatur etiam Dodwellus (Dissert. Cypr. Append. Cap. 45.). Sed contradicit, quod ad hoc quidem caput, aperte Silvester. Tillemontius non recedit a Pagio: addit tamen, fieri quoque posse ut Capitolinus vel male vel improprie de ea re scripserit. Silvester locum Capitolini ita interpungendum censet, ut annus secundi consulatus Pii referatur tantum ad Marci quæsturam. Ac iampridem Casaubonus locum Capitolini perturbatum notavit. Hoc ego moneo, Codicem Ambrosianum (C. 110. part. inf.) ita prorsus habere ut in regio Parisiaco

Plenum sine dubio supputant Panvinius (1), Norisius (2), Mediobarbus (3) qui Marcum adoptatum anno Urbis DCCCLXXXXII. censent: quam opinionem doctrina etiam nummorum veterum valde confirmat, siquidem M. Cæsaris nummi ante annum Urbis DCCCLXXXXII. nulli occurrunt (4). Nos igitur non immerito annum Marci XXII. poni a Frontone plenum putavimus, cum hic eo tempore se consulem dixit: adeoque ejus consulatum intra annum Urbis DCCCLXXXXVI. conclusimus. Porro, scriptis Frontonis nondum in lucem prolatis, et re non

De anno consulatûs Frontonis falsæ aliorum opiniones.

Casaubonus legit: *Octavo decimo ergo ætatis anno adoptatus in secundo consulatu Antonini.* Sequitur autem: *Iam qui dicebant, Marcum velle finiti belli gloriam sibi vindicare* etc. omissa omni commemoratione quæsturæ aliisque pluribus. Iam quandoquidem illud membrum *in secundo consulatu Antonini* nulla cum interpunctione adhæsit in codicibus præcedenti particulæ *octavo decimo ergo* etc., hinc haud scio an satis innuatur, vanam esse eam interpunctionem quam Silvester tuetur. Hæc me accurate notare non piguit. Versantur enim in eodem genere utraque quæstio de anno XVIII. et de XXII. Marci. Atque ut ab illo pendet epocha adoptionis Marci, ita ab hoc annus certus consulatûs Frontonis. Immo utraque quæstio satis arcte inter se connectuntur.

(1) In Fastis.

(2) De Votis decen. Cap. 3. Vide Pagium Dissert. hypat. Part. 1. Cap. 3. ß. 11.

(3) In nova Occonis Editione p. 211.

(4) V. Eckhelium Doctr. num. vet. Tom. 7. p. 44.

satis considerata, viri ceteroqui doctissimi Frontonem Marci imperatoris magistrum tertio consulem putaverunt cum Traiano, anno huius imperantis item tertio. Quam quidem sententiam satis ante nos retuderunt Norisius (1) et Oliverius (2). Sed enim Oliverius illorum errores cumulavit, cum diserte affirmavit Frontonem sub Marco imperatore consulatum gessisse. Ceterum nos et de alio ac priore consulatu Frontonis coniecturâ deinceps (3) disquiremus.

Fronto incertæ provinciæ proconsul designatus, valetudine ne munus obeat impeditur.

IX. Exacto de quo hactenus egimus consulatu, Fronto proconsulari dignitate ab Antonino Pio insignitus est: quo sane munere is fungi, si per valetudinem licuisset, impense studuit (4). Sed quamnam provinciam sortitus fuerit, merito quærendum. In Epistula octava Libri ad Pium ait Fronto, mentem sibi fuisse quærendi continendique provinciæ suæ latrones, atque Alexandriam ad familiares suos scripsisse ut Athenas festinarent ibique se opperirentur. Iamvero Mauros nomades sub Pio repressos notant Pausanias (5) et

(1) Epistul. Consul.

(2) Marm. Pisaur. Inscript. 69. p. 157–158.

(3) In hoc Commentario, ubi de militari Scripto Frontonis.

(4) Epist. 8. ad P.

(5) *Arcadic.* Cap. 43.

Capitolinus (1). Sed eos non fuisse latrones a Frontone memoratos vel ex eo patet, quod Fronto ex Mauretania Iulium Senem ad continendos latrones evocavit (2), qui si fuissent Mauri, Iulium Senem in Mauretania potius detinuisset. Rebelliones item sub Pio in Ægypto repressas narrat Capitolinus (3); sed quoniam Fronto gerendæ provinciæ causâ familiares suos Alexandria Athenas vocavit, nihil futurum erat Frontoni cum Ægypti motibus. Adde quod si in Africanam provinciam eundum Frontoni fuisset, haud sane Roma discedens, ubi nuper consulatu defunctus erat, Athenas contendisset. Frontoni igitur provincia aliqua Græciæ vel Asiæ obtigisse videtur. Et quidem Pium per præsides ac legatos repressisse Iudæos Achæosque rebellantes scribit idem Capitolinus (4), hosque fortasse latrones appellat Fronto. Ceterum adversa valetudine impeditus nullam provinciam rexit noster Orator (5), seque Pio excusare impetravit (6). Alios multos honores consecutum esse Frontonem luculenter constat

Alii honores in Frontonem collati.

(1) In *Pio* p. 27. A.
(2) Epist. 8. ad P.
(3) In *Pio* p. 27. B.
(4) Ibidem.
(5) Epist. 8. ad P. et Epist. item 8. Lib. 1. ad M.
(6) Epist. 11. ad P. in fine.

ex loco, quem laudat Charisius (1), latentis adhuc eiusdem Epistulæ ad Marcum imperatorem: *Mihi satis abundeque honorum est, quos mihi cotidiano tribuis.* Tum statuam Frontoni positam satis comprobat Capitolinus, cum ait (2), huic illam a Marco in senatu petitam.

Frontonis uxor, liberi, gener et frater.

x. Iam ut domesticam quoque Frontonis vitam persequamur; uxor quidem ei fuit nomine, ut videtur, *Gratia*, quod indicat is locus (3), ubi de ea scribit, *Gratiam meam misi* etc. tum addit, *Neque est Gratia mea, ut causidicorum uxores feruntur, multi cibi.* Quibus verbis et frugalitatem uxoris suæ singularem commendat. Hanc videlicet toto eo, quo in coniugio vixit, spatioso tempore carissimam habuit, eiusque obitum ægerrime tulit (4). Quinque infantes liberos amisit Fronto (5): ceterum nulla virilis sexus proles illi nata videtur (6). Filiam superstitem nomine item, ut videtur, *Gratiam* (7) Aufidio

(1) In *Putschio* p. 177. v. 34.

(2) In *Marco* p. 33. A.

(3) Epist. 3. Lib. 2. ad M. Vide et Epist. 3. græc.

(4) Epist. 7. et 8. Lib. 1. ad V.

(5) Epist. 2. de Nepote amisso.

(6) Epist. 6. Lib. 1. ad Amicos.


(7) Epist 5. Lib. 2. ad M. Confer etiam notam nostram 2. p. 208.

Victorino Cirtensi, disciplulo olim suo (1), eloquentia et probis moribus prædito, nuptum dedit (2). Et suos quidem Fronto singulari benevolentia complexus est, siquidem de uno Nepote trimulo (3) amisso prolixam adeo et plenam lacrimis gemitibusque Epistulam scripsit (4). Fratrem, cum quo concordissime vixit, item commemorat (5) eumdemque summos honores ab Antonino Pio consecutum, apud divos autem Fratres imperatores gratia florentem gaudens testatur (6). Et Claudius quidem Fronto Asiarcha legitur in nummis Pii Augusti et Marci Cæsaris, quæ tempora mirifice cum iis congruunt, quibus Fratrem suum ad honores evectum Fronto narrat. Hac super re ad secundam Epistulam *de Nepote amisso* (7) quædam notavimus, quo loco etiam innuimus, incertum plane videri, utrum ii nummi ad Frontonis nostri Fratrem referendi sint. Illud

Claudius Fronto Asiarcha.

(1) Epist. 1. Lib. 1. ad M. p. 39-40.
(2) Epist. 6. Lib. 2. ad A. et Epist. 2. de Nep. A.
(3) Epist. 7. Lib. 1. ad V.
(4) Epist. 2. de Nep. A.
(5) Epist. 2. Lib. 2. ad M. Epist. 5. Lib. 1. ad V. et Epist. 2. de Nep. A.
(6) Epist. 2. de Nep. A.
(7) Pag. 210-211.

quoque obstat, quod Oratori nomen est *Cornelius*; at Asiarchæ *Claudius*: quare et gente inter se differunt. Quamquam id quidem etiam Fratribus propter adoptionem aliquam accidere potuit. Sed utcumque se ista habent; nunc ut binos Claudii Frontonis nummos non sine aliquo fructu heic excudendos curemus, impellit nos clarissimi ac doctissimi viri *Caietani Cattanei* admonitio et beneficium. Is enim regii cæsarei Mediolanensis Musei, re nummaria optima refertissimi, Parens primus et Custos plura nobis ex intima doctrina numismatum protulit, quæ illustrandis Veterum scriptis percommoda erant, nosque sæpe, ut suis cimeliis uteremur, sane amice et humaniter hortatus est. En autem priorem nummum.



ΚΑΙσαρ ΤΙτος ΑΙΛιος ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΑΝΤΟ-ΝΕΙΝΟΣ ΕΥσεβης ΑΥτοκρατωρ.

Caput Antonini Pii laureatum.


ΙΓ ΠΟΛΕΩΝ ΚΟΙΝΟΝ ΠΡΟΔΙ . ΟΝ ΚΛαυδιου ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ.

Raptus Proserpinæ.

Ceterum in hoc Musei Mediolanensis nummo inscriptio quidem partis posticæ prorsus evanuit, eamque nos supplevimus ex edito a Vaillantio (1). Quod autem attinet ad vocabulum ΠΡΟΔΙ.ΟΝ (2), tum id varie admodum a rei nummariæ Scriptoribus exhibetur, tum multo laboriosius atque inconcinnius explicatur. Qui nuperus eorum sententias collegit Eckhelius (3), et novum etiam tentamen Vindobonensi nummo adhibuit, diserte fatetur, » nummos huius argumenti omnes hactenus » editos epigraphem vitiatam offerre, neque » adeo certi quid statui posse ». Sed miro eventu nummus alter Mediolanensis medelam

(1) Num. Græc. p. 47. et 59.
(2) Ita ΠΡΟΔΙ.ΟΝ divisum exhibet Vaillantius.
(3) Doctr. num. vet. Tom. 2. p. 507-508.

huic incommodo facere videtur. Ita vero se habet nummus.



Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΟΥΗΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡ.

Caput nudum M. Aurelii Cæsaris.

ΓΙ ΠΟΛΕΩΝ ΚΟΙΝ*ου* ΠΡΟΝΟΜῳ ΚΛ*αυδιου* ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ.

Iuno Pronuba in templo sex columnarum.

Quæ postrema inscriptio explicanda videtur: *Tredecim Urbium Communis decreto, Claudio Frontone Asiarcha et Pontifice* (1).

---

(1) Sane vocabulum ΠΡΟΝΟΜ. extat integerrimum in nummo. Suidas autem vocem *προνόμων* interpretatur *θεσμῶν, δικαιωμάτων*. Liceret etiam legere ΠΡΟΝΟΜ*ιῳ*, ut est in glossario Cyrilli, Suida et Hesychio, *privilegio, prærogativa*. Minus placet ΚΟΙΝ*ου* ΠΡΟΝΟΜ*ιου*, quod vix ausim interpretari, *Tredecim Urbium Commune primarium, Claudio Frontone Asiarcha et Pontifice.*

XI. Nunc ut ad propositum, a quo paulisper recessimus, revertamur; corpore quidem noster Orator infirmo admodum fuit: articulorum enim, humeri, dorsi, pedumque dolores, vigilias, tussim, longissimas valetudines, ut vitæ interdum pigeret tæderetque, toto pæne ætatis suæ cursu perpessus est (1). Nam pedibus quidem laboravit Fronto Favorino philosopho adhuc vivente (2), qui tamen ultra Hadriani imperium produxisse vitam non videtur (3). Quo magis in Frontone vim animi miror, qua morborum molestiis pro virtute sua toleratis (4), tantam morum retinuit suavitatem, ut eum familiares unice amarent, eiusque consuetudinem studiosissime

Frontonis valetudo et habitatio.

Primatum sibi multæ in Asia Urbes vindicarunt; verum heic non de Urbe sed de Urbium Communi agitur. Quare a prima explicatione vix recedendum censeo, quam tamen ipsam sapientiorum iudicio libenter subiicio. Notandus etiam in nummo inversus numerus ΓI pro IΓ.

(1) Ad P. Epist. 5. 8. 13. Ad M. Lib. 1. Epist. 7. 8. 9. Ad V. Lib. 1. Epist. 1. 5. 6. 7. Ad A. Lib. 1. Epist. 7. 12. 21. Lib. 2. Epist. 1. 2. 3. De Feriis A. Epist. 4. De Nep. A. Epist. 1. 2. De Bello Parth. in fine. Adde Artemidorum Lib. 4. Cap. 24. Gellium Lib. 2. Cap. 26. Lib. 19. Cap. 10.

(2) Gellius Lib. 2. Cap. 26.

(3) Vide infra in hoc Commentario, ubi de Scripto militari Frontonis.

(4) Ad M. Lib. 1. Epist. 7.

sequerentur (1). Immo cum paulisper morborum dolores remiserant, non deerat in causis; et in foro periculisque amicorum propulsandis diligentem operam collocabat (2). Ceterum et Circum cupide admodum frequentavit (3), et rure cum amicis suaviter et facete versatus est (4). Mæcenatianos hortos se possedisse innuit Fronto in Epistula ad Marcum (5): iam si urbanos intelligit, satis inde constaret, Frontonem Romæ habitasse in Exquiliis. Sed quoniam in Epistula ad Verum (6) ait idem Fronto se Romam rediisse ex hortis, fortasse intelligendi sunt horti villæ Mæcenatianæ, cuius adhuc ingentia rudera Tibure supersunt. Denique et villam suam suburba-

(1) Gellius Lib. 2. Cap. 26. et Lib. 19. Cap. 10.

(2) Ad P. Epist. 8. prope finem.

(3) Ad A. Lib. 2. Epist. 3.

(4) Ad P. Epist. 12.

(5) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. Ceterum quia in ea Epistula loquitur noster Fronto de Horatio poeta, hoc etiam notandum censeo, Frontonem scilicet illum, cuius meminit Iuvenalis Satyr. 1 v. 12. (eumdem fortasse ac eum de quo scribit Martialis Lib. 1. Epigr. 56) quique haud scio an unus fuerit e Maioribus Oratoris Cirtensis, habitasse Romæ Horatianam domum. Eius rei testis est Scholiastes vetus, qui ad versum Iuvenalis

» Frontonis platani. convulsaque marmora clamant »
ita commentatur: » In Horatiana domo, in qua poetæ » recitabant ».

(6) Ad V. Lib. 1. Epist. 4.

nam memorat Fronto in Epistula ad Cassium (1).

XII. Porro Fronto non duorum tantummodo Principum studia magisterio rexit, sed alios plurimos adolescentes ad latinam eloquentiam instituit, quos et contubernales secum habuit (2). Et quoniam is peculiari dicendi genere utebatur, et fama præter ceteros rhetores multo nobilissima celebrabatur, novam eloquentiæ sectam auspicari visus est (3): eiusque discipuli aut asseclæ post Magistri etiam fatum *Frontoniani* vocitati sunt (4). Nonnullorum eius Discipulorum nomina ex eiusdem Operibus eruo. Sunt autem, præter Marcum et Lucium deinde Augustos, Aufidius Victorinus (5), Sardii Saturnini liberi (6), Filius Gallicani, nomine, ut videtur, Callistus (7), Volumnius Quadratus (8). Videntur etiam Æmilius Pius (9), Faustinianus (10), Valerianus (11),

Eiusdem discipuli et familiares.

(1) Ad A. Lib. 1. Epist. 7.
(2) Ad A. Lib. 1. Epist. 10 et 25.
(3) Macrob. Saturn. Lib. 5. Cap. 1.
(4) Sidon. Lib. 1. Epist. 1.
(5) Ad M. Lib. 1. Epist. 1.
(6) Ad A. Lib. 1. Epist. 10.
(7) Ad A. Lib. 1. Epist. 25.
(8) Ad A. Lib. 2. Epist. 1. 2. 3.
(9) Ad A. Lib. 1. Epist. 9.
(10) Ad A. Lib. 1. Epist. 6.
(11) Ad A. Lib. 1. Epist. 5.

Arrius Antoninus (1). Gellius quoque et Celsinus Iulianus Numida, si non discipuli, certe auditores Frontonis fuerunt (2). Amicorum et Familiarium Frontonis caterva ex Indicibus utriusque Libri Epistularum ad Amicos cognoscitur. Quibus addendi sunt Niger Censorius (3), Cavius Maximus (4), Iulius Senex (5), Sextius Calpurnius et Appianus historicus (6), Demonstratus et Herodes Atticus (7), Gavius Clarus (8), Tranquillus ut videtur Svetonius (9), Cornelianus Sulpicius (10), Montanus Licinius (11), Iulius Aquilinus (12), Statirnus (13), Castricius (14), Fabianus (15), Volumnius (16),

(1) Oratio pro Volumu. Ser. et Ep. pro Baburiana.
(2) Gellius Lib. 2. Cap. 26. Lib. 13. Cap. 28. Lib. 19. Cap. 8. et 10.
(3) Ad P. Epist. 3.
(4) Ad P. Epist. 7.
(5) Ad P. Epist. 8.
(6) Ad P. Epist. 11. et Græc. 6. 7.
(7) Ad M. Lib. 1. Epist. 4.
(8) Ad V. Lib. 1. Epist. 5.
(9) Ad V. Lib. 1. Epist. ultim.
(10) Ad A. Lib. 1. Epist 1. et Græc. 5.
(11) Ad A. Lib. 1. Epist. 2.
(12) Ad A. Lib 1. Epist. 4.
(13) Ad A. Lib. 1. Epist. 6.
(14) Ad A. Lib. 2. Epist. 2.
(15) Ad A. Lib. 2. Epist. 4.
(16) Ad A. Lib. 2. Epist. 5.

Sidius (1), Apollonides (2), (præter alios qui anonymi in Epistulis commemorantur): tum denique, ut Gellius notat (3), Favorinus, Festus Postumius et Apollinaris Sulpicius, multique doctrina aut genere aut fortuna nobiles viri, qui Frontone familiariter usi sunt (4).

XIII. Iam egregios Frontonis mores vitæque eius inculpatam rationem quis dignis coloribus exprimat? Ex eius scriptis illud primum apparet, eum fuisse natura et consuetudine et disciplina lenissimum: nullas inimicitias suscepisse: immo siquos necessario causarum officio læserat, tanta moderatione usum esse, ut ipsos adversarios sibi conciliaverit, quod accidit in Causa Demonstrati adversus Herodem (5). Unum excipias Polemonem rhetorem, hominem ceteroqui superbissimum, quem nos oblique a Frontone derisum suspicamur (6). Et in philosophos quidem sui temporis vehementer invectus est Fronto (7), qui videlicet

Frontonis mores egregii.

(1) Ad A. Lib. 2. Epist. 6.
(2) Epist. Græc. 5.
(3) Lib. 2. Cap. 26. Lib. 19. Cap. 13.
(4) Idem Gellius Lib. 19. Cap. 10.
(5) Ad M. Lib. 1. Epist. 4.
(6) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. Consule p. 38. notam 3. tum Lib. 1. ad V. Epist. 9. ibique notam nostram 1. p. 102.
(7) In Libris *de Orationibus* passim.

M. Aurelium a recto eloquentiæ tramite detorquebant (1); quum tamen neminem nominaverit, nemo ei iure irasci potuit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Quin ad Pium scribens, dum Amicum suum honestate et probitate alii cuidam præstare ait, diligenter cavet ne eum, qui virtute inferior sit, nominatim appellet (2). Amicitias olim contractas, numquam dimisit (3), ne si Amicus quidem a gratia Principis excidisset (4). Familiarium negotia, incolumitatem, fortunas, non secus ac suas, cordi habuit: eosque hospitio, consiliis, maximeque gratia, qua apud Imperatores valebat, iuvit (5). Quid eius pudicitiam memorem morum atque sermonis? Illam quidem concordia docet et pietas iusti coniugii (6), hanc tot libri ab omni obscenitate purgati. Atqui ille etiam Plinius Cæcilius morum elegantia et probitate celebris, quum suos ad Amicum petulantiores hendecasyllabos mitteret, scribere non erubuit, vitæ non

(1) Vide *de Orationibus* præsertim Lib. 2. Fragm. 2.

(2) Ad P. Epist. 11.

(3) Ad A. Lib. 1. Epist. 20.

(4) Ad P. Epist. 3.

(5) Vide plures Frontonis Epistulas commendatitias, tum nominatim ad A. Lib. 1. Epist. 5.

(6) Ad V. Lib. 1. Epist. 7. 8.

carminum puritatis esse satagendum (1). Fronto contra meliore mente præditus, in alia plane sententia fuisse videtur, nempe ut probe pudicus homo quantum a rerum turpitudine abest, tantum se a verborum libertate seiungat. Porro quod attinet ad Epistulam primam græcam, eâ quidem Fronto adolescentem Alumnum suum ab obscenorum amorum illecebris magnopere avertit (2). Neque apertioribus fere vocabulis utitur, quam ipsi sanctissimi Christianorum Patres uti consueverunt, quum in concionibus publicis diffluentes sæculi mores castigarent. Quod si puriorem iam usurpamus loquelam, gratulemur sane nobis meliora tempora; sed eorum qui sub aliis institutis et moribus vitam traduxerunt, ne facile sermones miremur. Atque ad hanc normam græca quoque Epistula quarta (quemcumque ea demum auctorem habet) exigenda est (3). Sed enim in vitam suam actam gloriose et insigni cum laude Fronto ipse decurrit in secunda Epistula *de Nepote amisso*: quo præterea in

(1) Plin. Lib. 4. Epist. 14.

(2) Consule Monitum quod ei Epistulæ nos præposuimus.

(3) Vide item ad eam Epistulam Monitum nostrum prævium.

scripto, postquam dolori paulisper indulsit, de immortalitate animorum, Dei providentia, et futuræ vitæ præmiis præclare sentit: suamque innocentiam, liberalitatem, fidem, fortitudinem, constantiam, pietatem, modestiam, animi curam, doctrinæ studium, pecuniæ contemptum, parsimoniam, sinceritatem, mentis excelsitatem, iniuriarum oblivionem, patientiam libere quidem sed non iactanter commendat. Locum insignem de acta vita (sua ut arbitror) inseruerat Fronto etiam Orationi *Bithynæ* (1), quem locum amissum cum eiusdem plurimis aliis scriptis merito dolemus. Illud vehementer mirandum, quod duorum orbis terræ Imperatorum, pluriumque etiam nobilissimorum hominum institutor, quibus carissimus semper fuit, tum sui sæculi eloquentiâ princeps (2), immo, excepto Tullio, oratorum facile latinorum nobilissimus (3), modico tamen censu vitam exegisse videtur: cuius rei cum ipse Fronto in binis

---

(1) Vide Epistulam ad Aufidium Victorinum post Orationem *de Hereditate Matidiæ* p. 293-294. ibique consule notam nostram 1. p. 294.

(2) Dio Lib. 69. Cap. 18.

(3) Eumenius Panegyr. Constantii Cap. 14. Eutropius Lib. 8.

Epistulis ad Marcum et Verum (1) verbo testis est, tum opere fidem fecit, cum ne immodice ditior fieret, ut ipse aiebat, duorum mancipiorum donum respuit sibi ab Appiano missorum (2). Iam qui duo mancipia vehementer ut grave donum extollit negatque se recepturum, eum nec amplo censu præditum nec quæstui deditum existimem. Atque hoc loco præclare mihi incidit Frontonis comparatio cum romani Principis item magistro Seneca philosopho. Hic enim cum divitias et luxum tam clamose verbis contempserit, innumeram nihilominus pecuniæ vim brevi tempore coacervavit (3), immane etiam fenus exercuit (4), tantamque luxus invidiam contraxit, ut scripto integro opere semet purgare coactus sit (5). Quin et turpes amores illi obiicit Dio, nec feminarum solum, sed exoletorum: quodque horribilius est, Neronem ipsum alumnum ab eo iisdem implicitum narrat (6).

Frontonis comparatio cum Seneca philosopho.

(1) De Nep. A. Epist. 2. Ad V. Lib. 1. Epist. 5.

(2) Epist. 7. græc.

(3) Tacitus Annal. Lib. 13. Cap. 42. Lib. 14. Cap. 53. Dio Lib. 61. Cap. 10.

(4) Dio Lib. 62. Cap. 2.

(5) Libro videlicet *de Vita beata.*

(6) Lib. 61. Cap. 10.

Ut plane Seneca de eorum numero fuerit

Qui Curios simulant et bacchanalia vivunt (1).

Contra Fronto sine philosophico supercilio, immo philosophici nominis apertus osor, vera tamen philosophia non caruit, temperantemque et simplicissimam vitam transegit: suumque discipulum, quem in primis dilexit, Marcum ad morum sanctimoniam mirabiliter effinxit. Ut mihi videatur non minus vitæ instituto, quam mentis sententia et orationis genere Fronto a Seneca dissensisse (2). Hoc denique Frontoni in præconio vel maximo ponendum est, quod vir tot naturæ et eruditionis ornamentis florens, de suo ingenio

(1) Iuvenal. Satyr. 2. v. 3.

(2) Vide dicta ironice in Epist. 2. Alsiens. p. 177-178. tum acrem Senecæ insectationem Lib. 2. Fragm. 1. *de Orationibus*. At enim Io. Sarisburiensis (Polycr. Lib. 8. Cap. 13.) ait Frontonem Senecæ moralia præcepta vehementer commendasse. Et quidem Sarisburiensis Frontonem revera nostrum citat, quod constat ex comparatione locorum Polycratici, quos infra afferimus inter Veterum de Frontone testimonia. Id tamen nihil impedit, quominus Fronto a Senecæ elocutione et moribus abhorruerit. Nam bona vitæ præcepta etiam a pravo homine et inepto oratore tradi possunt. Quin ipse Seneca postquam virtutem in Libro *de Vita beata* mire extulit, concludendum censuit his verbis: » Hæc non pro me loquor; ego » enim in alto vitiorum omnium sum. De virtute, non » de me loquor ».

tamen atque eloquentia demisse admodum sensit (1). Præclaram enimvero modestiam atque admirabilem! Nam cum omnis fere virtutis facultatisque arrogantia comes est, tum illa ingenii atque doctrinæ multo frequentissima.

XIV. Age vero ad ipsas litterarias Frontonis laudes accedamus. Illud autem in primis observo, fuisse in Frontone singulare ingenium, et ad elocutionem veram a fucata et falsa discernendum peracre. Rursus ita docile, ut quidquid commentaretur sive grave sive ludicrum, sive siccum sive amœnum, id excellenter adornaret. Constans idem, eique rei, cui se impenderet, mirifice deditum (2): peracutum ad excogitandum, sollers ad instruendum, tum, quod proprium Afrarum mentium est, inventionis ubertate præpollens. Et quod quidem attinet ad inventionis argutias, duo etiam gentiles eius Apuleius et Martianus Capella satis claruerunt. Sed Fronto noster ab omni laude felicior. Namque Apuleius cum verbis insolentior est, tum gravem flagitiorum infamiam scriptis inussit; Martianus autem non solum a latina puritate

Frontonis ingenium.

(1) Ad P. Epist. 10. p. 23-24. Epist. ad Victorin. p. 294. Epist. 2. græc.

(2) Vide Epist. 2. græc.

recedit, sed ita se latebris abdit, ita salebris et asperitatibus horret, ut universam barbariem Punicam Latio infusam existimes. At Frontonis Inventa cum ab omni labe defæcata sunt, tum singulari quadam ingenii vi ac perspicuitate explicantur.

Ingenii exercitatio.

XV. Atqui Frontoni non tantum lumina ingenii fuerunt, sed eiusdem assiduus usus et vehemens subactio, quodque valde ad eloquentiam confert, invicta scribendi perseverantia. In tam longa vita nullus temere dies effluxisse videtur, quo non aliquid Fronto scriptitaverit: quum vel ad regios discipulos litteras eruditas daret (1), vel eorum lucubrationibus responderet (2), vel virtuti plauderet (3), vel carmina, edicta, et orationes præceptoria censura notaret (4), vel de acceptis beneficiis gratias ageret (5). Quin Fronto ex quotidianis rerum eventibus exercendi stili occasionem studiose captare solitus fuit. Clade Romanorum a Parthis edita, Scriptum gravissimum *de Bello Parthico*

(1) Eiusmodi sunt Epistulæ *de Orationibus* et prima græcarum.

(2) Ad M. Lib. 1. Epist. 3.

(3) Ad V. Lib. 2. Epist. 4.

(4) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. Ad A. Lib. 2. Epist. 1. 2. 3. Adde Fragm. 4. 5. 6. Lib. 2. *de Orationibus*.

(5) Ad P. Epist. 10.

instruxit. Fortunâ ad Romanos conversâ, victoriam duplici Opere, nempe *Principiis Historiæ* et *Historia* ipsa eius belli celebravit. Ad Marcum rusticantem elegantissimas dedit Litteras *de Feriis Alsiensibus*. Calvillam Marci matrem, tum in eius natali tum sui purgandi causa, scriptis ingeniosis argutiis oblectavit (1). Appiano, qui de recusatis donis questus erat (2), philosophicam dissertationem opposuit (3). Tum in discipulorum gratiam grammatica opera adornavit *de Differentiis vocabulorum*, atque, ut videtur, etiam *Exempla elocutionum* (4): Auctores denique antiquos emendavit distinxit atque adnotavit (5): nec non fabellas festivas ac narratiunculas nexuit (6). Itaque facultatem orationis nulla desidia exarescere passus est: immo naturæ felicis acumen arte eximia limavit, omnesque rhetoricæ partes excoluit, fuitque scriptor industrius diligens atque omnibus numeris absolutus.

---

(1) Epist. 2. et 3. græc.

(2) Epist. 6. græc.

(3) Epist. 7. græc.

(4) De Opusculo *Exempla elocutionum* vide quæ nos disputavimus in Monito, quod ei in nostra Editione præfiximus.

(5) Ad A. Lib. 2. Epist. 2.

(6) Fabulam Polemonis (Epist. 1. Lib. 1. ad M.) tum Arionem.

Genus Frontonianæ eloquentiæ grave et siccum.

XVI. Iam de ipso genere Frontonianæ eloquentiæ non tam meum quam Veterum iudicium audiendum est. Quippe D. Hieronymus (1), Sidonius Apollinaris (2), et Macrobius (3) quibus locis recensent dissimilia dicendi genera, Frontonis eloquentiam dicunt, priores duo quidem *gravem*, tertius *siccam*. Et ad primam laudem quod attinet, reapse Frontonis scripta plena sunt verbis et rebus illustribus, incorrupta latini sermonis severitas, reconditæ sapientesque sententiæ, exquisita morum et civilitatis præcepta. Quid gravius illa Epistula ad Verum imperatorem (4), qua Fronto eius militaria facinora ipsamque eloquentiam collaudat? Posterior Epistula *de Nepote amisso* nulli philosophorum disputationi altissimæ cedit. Epistula qua Marci in se benevolentiam Fronto celebrat (5), mirabili sensuum granditate referta est. Fragmenta denique Historiæ, si vel cum principe eius facultatis Sallustio conferas, comparationis quidem, me iudice, vix te pudeat. Iam quod Macrobius Frontonianum genus *siccum* dixit; primum cavendum

(1) Epist. ad Rusticum Monach. Cap. 12.
(2) Epist. 3. Lib. 4.
(3) Saturn. Lib. 5. Cap. 1.
(4) Ad V. Lib. 2. Epist. 4.
(5) Ad M. Lib. 1. Epist. 8.

est, *ne siccitatem* in vitio potius quam in laude orationis ponamus. Nam *siccum* genus bis saltem commendat Cicero. Semel quidem cum Cottam oratorem his verbis laudat *in Bruto* (1): » Nihil erat in eius oratione nisi sincerum, » nihil nisi *siccum* atque sanum ». Iterum cum in eodem Opere scribit (2): » Sin autem acu» tum prudens et idem sincerum et solidum » et *exsiccatum* genus orationis probant, nec » illo graviore ornatu oratorio utuntur, et » hoc proprium esse Atticorum volunt; recte » laudant ». Atqui Atticum et quidem philosophicum stilum se diligenter sectari Fronto ipse præ se tulit (3). Reapse nihil est pura et perspicua brevitate Frontonis dulcius: inflata turgida redundantia vocabula in his quidem operibus nulla reperies. Quin potius gracilitates quasdam consectatur noster orator, ita tamen ut omnia mirificis leporibus condiat, mentemque Lectoris gratissima suavitate demulceat. Verum quum duo sint veluti sapores sermonis, alter recens et musteus, alter vetusculus et confirmatior; Fronto quidem antiquitate potius delectatur, et utitur verbis

(1) Cap. 55.
(2) Cap. 84. Confer etiam Cap. 82.
(3) Ad M. Lib. 1. Epist. 1.

magis priscis Catonis Plauti Sallustii, quam eorum, qui etsi excellentes, propius tamen sua tempora floruerunt. Quintiliani vero et Plinii Cæcilii, quos iuvenis Fronto audire potuit, nullam, quod iure mireris, Scriptis suis (quæ quidem invenimus) commemorationem inseruit.

De Frontonis Epistulis.

XVII. Cæterum præcipua pars Operum Frontonis, quæ nobis oblata est, Epistulis constat: itaque insigne in hoc elocutionis genere sermoni latino additamentum afferimus. Ante nostram Editionem quatuor in primis celebrabantur latini Epistularum auctores Cicero videlicet, Seneca, Plinius et Symmachus. Iam inter hos secundum prorsus a Cicerone Frontonem colloco. Neque enim is sum, qui vel comparare cum Tullio Frontonem velim, vel eumdem præferre reliquis dubitem. Novi equidem Sidonium Apollinarem epistulari Ciceronis stilo oblique maledixisse, ut eius certe locum Petrarcha, Politianus et Barthius interpretati sunt (1). Novi quæ idem Barthius ex sententia Sidonii libere disputat. Video ab ipso Frontone partem hanc Tullianorum scriptorum

(1) Vide ad Epist. I. Lib. I. ad Marcum p. 37 notam meam.

veluti remissiorem subobscure taxari. Sed næ ille scopuloso difficilique in loco versatur, qui de Ciceronis gloria detrahere nititur! Igitur per me quidem incolumi Ciceronis fastigio, nihil porro est cur in perpendendis Senecæ, Plinii et Symmachi Epistulis orationem meam dilatem, quum eæ manibus Eruditorum terantur. Atque ut de Frontone unice loquar, hoc eius Epistularum non modicum corpus, quod, Deo favente, nunc in lucem protrahitur, eiusmodi est, ut si perfectum in suo genere dicam, crimen audaciæ vix pertimescam. Sane Epistulas, quibus sua vel amicorum negotia aguntur, severe adeo et graviter et studiose conscribit Fronto, ut omnino antiquæ sedulitatis, officii, fidei, amicitiæ exemplum se præbeat. Aliæ sunt eiusdem Epistulæ nitidæ oppido et lætæ, quas præsertim ad Marcum Cæsarem inflammandi amoris causa missitavit. Atque in his, cum adfectiones suas eximiis sensibus exprimit, tum sublata præceptoria severitate humanissime cum suo Alumno iocatur: neque ipsa aucupia verborum, et litterarum tendiculas, et ingenii acumina negligit, homo plane urbanus et commodus et festivus et blandus atque ad capiendos exhilarandosque animos mirabiliter aptus. Tertium

Frontonis Epistularum est genus, exornandi gratia delectandique susceptum: in quo demum elocutio præter morem inflectitur, numerisque veluti ac modulis comprehenditur. Atque hæc est pulcherrima Frontonianæ, ut ita dicam, ditionis regio, ubi, quacumque aciem oculorum converteris, lucidissimi et novi flores undique tibi nascentur: ubi Fronto videtur deliciis diffluere, olere unguenta, Græcorum arculas compilare, et compositus atque delibutus per Charitum hortos volitare.

De Frontonis Orationibus.

XVIII. Illud dolendum maxime, quod Orationum eiusdem, quibus adeo olim claruit (1), paucas admodum reliquias e membranis nostris eruere datum fuerit. Quod siquis clamores et animorum motus et vehementes figuras in his ipsis desiderat; is consideret, oro, primum quidem, in lacero et ægro corpore inique admodum vigorem summum requiri: deinde suam cuique oratori naturam inesse: Frontonem autem cum vita tum etiam oratione videri fuisse tranquillum. Pleraque in Orationibus Cicero ad ornatum et copiam sonitumque grandiloquum revocavit; Fronto contra in sedato pressoque eloquentiæ genere se continuit:

(1) Sidonius Epist. 10. Lib. 8. *M. Fronto cum Orationibus emineret.*

videnturque eius Orationes plus disputationis habere quam dimicationis. Quamquam et ista dicendi ratio vires interdum exerit valentissimas, et cum mentes iudicum luculenter illustrat, tum se eorumdem voluntatibus vehementissime admovet. Denique fatendum est, clamosam illam et fervidam eloquentiam cum ipsis liberæ Reip. motibus deferbuisse.

Latinæ eloquentiæ post Ciceronem in peius inclinatio.

XIX. Romanæ eloquentiæ vices cum antiqui tum recentes etiam Scriptores diligenti opera persecuti sunt (1). Ut rem paucissimis expediamus; ea ita in Tullio pervenit ad summum, ut nihil ante eum non rudius fuerit, nihil postea non fere infirmius evaserit. Ex quo enim Arpinas palladium, si fas ita loqui, Capitolina arce avulsum est,

Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Suada fori, *fractæ vires*, *aversa Deæ mens* (2).

Mirum pæne videatur, ipsum Ciceronem latinæ eloquentiæ fata certo vaticinio cecinisse. Is enim in secunda Tusculanarum Quæstionum (3) sic ait: » Atque Oratorum

(1) Auctor Dialogi *de Caussis corruptæ eloquentiæ*. Andresius, *dell'Origine* ecc. *d'ogni Letteratura*. Edit. Venet. 1790. Tom. 7. p. 47. et seqq. Tiraboschus, *Storia della Letteratura Italiana*. Edit. Mutin. 1787. Tom. 1. p. 251. et seqq.

(2) Virgil. Æneid. Lib. 2. v. 169-170.

(3) Cap. 2.

» quidem (latinorum) laus ita ducta ab hu-
» mili venit ad summum, ut iam, quod na-
» tura fert in omnibus fere rebus, senescat,
» brevique tempore ad nihilum ventura vi-
» deatur ». Ut mittam eam Oratorum copiam, quorum nomina tantum ad nos venerunt, ii certe qui supersunt usque ad Frontonem, quam fuerit Tullii dictum sapiens, vitiositate sua comprobarunt. Seneca uterque et Calpurnius Flaccus quot vitiis scateant, seu certe quot oratoriis virtutibus careant, nemo non novit. Fabius Quintilianus est ille quidem perbonis præceptis abundans, sed cum oratione durior, tum in Rhetorum potius ordine cohibendus, quam Oratoribus accensendus est. Sequitur Plinius Cæcilius; cuius Panegyricus Traiano dictus ingentem celebritatem obtinuit. Verum et huius diserti viri oratio dissolutior est, et abruptis crebrisque sententiis ad satietatem referta: mira, turgida, exquisita, omnia denique præter rerum communem naturam semper sectatur: contraposito, exaggeratione, argutiis, et cuiuscemodi deliciis universum sermonis contextum infercit. Saniores sunt eius Epistulæ, quæ tamen ipsæ ad Tullianam facilitatem et elegantiam non pertingunt.

Fronto post Ciceronem optimus, sed tamen in alio genere.

xx. Verum aliquando cum melioribus romanæ Reip. moderatoribus, meliores etiam litterariæ opes emerserunt. Neque enim hoc adfirmare non ausim, sicut Resp. magnis diu iactata motibus et calamitatibus in Antoninorum pietate conquievit, ita eloquentiam multorum rhetorum ac declamatorum vitiis prope perditam, in Frontonis denique elegantia esse recreatam. Atque equidem vererer, ne meis Inventis nimium faverem, nisi et summis laudibus elatum apud Veteres Frontonem viderem (1), et nulla reprehensione notatum. Verum, ut dixi, violentum illud eloquentiæ genus ne sub Frontone quidem caput extulit. Floruit in iudiciis Fronto extremis Hadriani temporibus, tum diu sub Antonino Pio divisque Fratribus. Etsi autem Antonini Principes Remp. optime administrarent, tamen is adhuc erat rerum status, ut omnia ad unius fere nutum regerentur: eiusmodi autem iudiciorum mos, ut e quæstionis potius diligenti cognitione et nuda testium interrogatione causæ definiri solerent. Tum ipse Orator vel coram Principis maiestate sæpe dicebat, vel ad eumdem scriptam lucubrationem ceu libellum mittebat. Quibus vinculis eloquentiam

(1) Consule Veterum testimonia de Frontone.

implicitam, quis non videt debuisse vim suam vel necessario vel sponte remittere? An Fronto cum cœnatus repente audivisset, ut ait Dio (1), Principem intempesta iam nocte ante cubandum ius reddere, Causam clientis sui tragica persona, tristissimis verbis, voce maxima declamasset? Quod si fecisset, num disertus visus esset, an a mente potius consilioque deductus? Quid? cum ad Marcum Imperatorem Orationem *de Hereditate Matidiæ*, vel ad Arrium Antoninum Causidicationem *pro Volumnio Sereno* epistulari pæne forma scribebat; num arderent oculi, æstuarent animi, lacrimas, miserationes, querelas adhibere potuisset? Ipse Cicero, quum apud Cæsarem, iam dictatorem et dominum, Deiotari regis causam privatis in ædibus esset acturus, de eius rei incommodo his verbis questus est (2): » Moveor etiam loci ipsius in-
» solentia, quod tantam causam. . . . dico
» intra domesticos parietes, dico extra con-
» ventum et eam frequentiam, in qua Ora-
» torum studia niti solent: in tuis oculis,
» in tuo ore vultuque acquiesco . . . . quæ
» mihi ad motum animi et ad omnem impetum

(1) Lib. 69. Cap. 18.
(2) *Pro Deiotaro* Cap. 2.

» dicendi contentionemque leviora sunt ». Sed omnino habita temporum auditorumque ratione, quibus semper oratio attemperata est, nihil vetat quominus optimus et perfectus orator Fronto habeatur, quem cum ad eloquentiam excellens armavit ingenium; tum plane disertissimum usus acerrimus et disciplina perfecerunt: quam quidem eius laudem et sæculorum testimonium comprobavit, et Scripta denium eiusdem, quæ nunc prodeunt, luculenter confirmant. Namque, ut verissime scripsit Cicero (1): » In Oratoribus » illud est animadvertendum, posse esse sum» mos qui inter se sint dissimiles ».

Frontonis præcepta de Orationibus.

XXI. Denique quod in Tullio plurimum admiramur, eum scilicet non solum artem oratoriam plurimis orationibus excoluisse, verum etiam optimis institutionibus ad eamdem ceteros informasse; id noster quoque Fronto cumulatissime præstitit. Scripsit* enim *de Orationibus* componendis duos saltem Epistularum Libros: quos utinam integros in lucem emittere potuissem! Nunc in iis paucis reliquiis, quas incredibili studio et labore e laceris et oblitteratis membranis collegi,

(1) In *Bruto* Cap. 56.

quanta gravitas, sanitas, et sapientia præceptorum elucet! Plane dicam, fontem ipsum eloquentiæ iis contineri. Quod si nihil aliud Frontonianum deprehendissem, satis abundeque Cirtensis nostri nomen in his exuviis iactare se posset.

Græca Frontonis litteratura.

XXII. Græcas item litteras attigit Fronto, lectione primum, ex qua satis profecit, tum etiam scriptione. Nam et græcos Auctores haud raro commemorat, et Platonem atque Xenophontem feliciter æmulatus est (1). Hoc autem græcitatis studium ad fructum suum et oblectationem sine dubio retulit Fronto. Uterque enim alumnus Marcus et Lucius græcis magistris ad eam linguam usi sunt (2). Ac quantum in eo genere Fronto excellat, Lectorum esto iudicium: nam ipse quidem mirifice se contemnit (3). Mihi equidem græcæ Frontonis lucubrationes nec diligentia carere nec suavitate videntur, ita tamen ut illum nativum colorem atque orationis spontaneam copiam et volubilitatem abesse ab iis arbitrer. Neque ipsam poesim neglexit Fronto. Certe

(1) Epist. I. græc.

(2) Vide Capitolinum in *Marco* pag. 33. A. in *Vero* p. 52. A.

(3) Ad M. Lib. I. Epist. I. in fine, et Epist. 2. græc.

Homerus familiaris ei fuit: tum M. Aurelius græcos elegos apud Magistrum (Frontonem) legisse se memoriæ prodidit (1). Impensius autem latinis Musis litasse Frontonem iudico, ad quem videlicet regii Discipuli suos hexametros et hendecasyllabos (latinos ut arbitror) legendos corrigendosque miserunt (2).

Quo tempore Fronto obiisse videatur.

XXIII. Denique quo definite anno vitam Fronto cum morte commutaverit, nulla, quod sciam, historia docet. Hieronymus quidem (3) et Anastasius Bibliothecarius (4) Frontonis nostri meminerunt ad annum Christi CLXV, nempe Urbis DCCCCXVIII, belli Parthici quarto: at Syncellus (5) priore anno, Marci nempe imperantis quarto, belli Parthici tertio. Frontonis tamen Opera aperte indicant eum ultra confectas res Parthicas vitam produxisse, quarum scilicet historiam pertexuit. At Marcomannici belli, quod anno Urbis DCCCCXX. susceptum est, nulla apud Frontonem expressa mentio. Nisi forte putandum

(1) Ad M. Lib. 1. Epist. 2. quo loco vide et notam nostram 3. p. 45.

(2) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. Lib. 2. Epist. 9. Ad V. Lib. 1. Epist. 9.

(3) In Chronico Euseb.

(4) Histor. Eccles.

(5) In Chronographia.

est, Nepotem, quem Fronto luxit, amissum esse quum in hoc bello Victorinus pater versaretur (1), adeoque Frontonem his adhuc temporibus capularem ætatem sustentasse (2). Orationem pro Demonstrato scripsisse Frontonem, causamque Demonstrati, sive hanc sive aliam, Marcomannico bello vigente actam mox dicemus: ex quo iterum fortasse coniicias, Frontonem usque ad id temporis superfuisse. Illud exploratum videtur, Frontonem e vivis excessisse, antequam L. Verus imperator anno Urbis DCCCCXXII. letali apud Altinum apoplexi corriperetur: quandoquidem nec extincti Veri ulla in Magistri litteris mentio est, et idem senio extremo confectus præmori plane debuit (3).

Recensentur Opera Frontonis adhuc latentia.

XXIIII. Superest ut Frontonis Operum adhuc latentium (præter ea quæ nos primum nunc edimus, et illa paucissima quæ ante nostram Editionem exstabant) accuratum catalogum attexamus. Hæc autem fere sunt, quæ nobis scrutantibus cognoscere licuit.

(1) Consule dicta a nobis ad Epist. 2. de Nep. A. p. 213-214. in nota.

(2) Vide Epist. 2. de Nep. A. p. 209.

(3) Recole superius Cap. 7. dicta a nobis de tempore quo Fronto natus videtur.

Panegyricus I. Antonino Pio dictus, quo eidem Fronto victoriam Britannicam gratulatus est. Eumenius sane meminit (1) Frontoniani Panegyrici, quo noster Orator belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi dedit, quamvis hic in Urbe residens gerendi eius mandasset auspicium. Reapse Tillemontius existimat (2), hoc Panegyrico, quem Eumenius commemorat, celebratum fuisse Antoninum Pium, qui Britannos per Lollium Urbicum vicit (3). At Patarolus (4) et Turrianus (5), nescio quibus momentis impulsi, M. Antoninum laudatum autumant, qui adversus Britannos Calphurnium Agricolam misit (6). Ego omnino censeo cum Tillemontio, celebratam a Frontone Britannicam victoriam Pii, 1.° quia huius victoriæ sub Pio manifesti testes sunt nummi (7); at exitum belli Britannici sub Divis Fratribus, duce Agricola, historia silet (8). Panegyrici.

(1) Panegyric. Constantii Cap. 14.
(2) Hist. des Emp. in Antonin. Art. 7. p. 311.
(3) Pausan. in *Arcadic.* Cap. 43. Capitol. in *Pio* p. 27. A.
(4) Ad Eumenium loco citato.
(5) *Letteratura dei Numidi.* Cap. 8. Art. 1. p. 53.
(6) Capitol. in *Marco* p. 37. B.
(7) Apud Eckhelium Doctr. num. vet. Tom. 7. p. 14.
(8) Murator. *Annali d' Italia* ad annum Ch. 162.

2.° quia Antoninus Pius in quadam Epistula (1) loquitur de Panegyrico sibi a Frontone recitato, quo hic honorem etiam Faustinæ suæ tutatus fuerat, quam defensionem sibi gratissimam fuisse ait, quia mallet cum Faustina Gyaris, quam sine illa in Palatio vivere. Atqui Faustina maior extincta est tertio Pii imperantis anno (2), victoria autem Britannica anno vel hoc vel priore patrata videtur, quoniam Pius anno etiam priore Imperatoris II. titulo insignitur (3); ergo tempora satis congruunt. Illa autem Epistula omnino videtur Antonini Pii, non Marci Cæsaris, quia ibi neque in titulo (quantum vidi), neque in clausula dicitur Fronto *Magister*, quod secus esset, si Marcus eam Epistulam scripsisset.

Panegyricus II. eidem Pio dictus. Hunc recitavit Fronto in senatu, designato et inito consulatu, laudes etiam complexus M. Cæsaris, ut ipse Fronto narrat in VI. Epistula Libri I. ad Marcum. Ea res patet etiam ex Epistula I. græca, in qua ait Fronto se illum Panegyricum per eos dies scripsisse: scripserat autem in consulatu, quoniam illam græcam

(1) Ad P. Epist. 2.
(2) Capitol. in *Pio* p. 27. C.
(3) V. Eckhelium loco nuper citato.

Epistulam implicuit Fronto primæ Libri prioris ad Marcum, quam consul sine dubio scripsit (1). Patet autem, hunc Panegyricum omnino alium esse a superiore. Namque in hoc posteriore, quem consul Fronto dixit, non potuit celebrare Faustinam maiorem superstitem, quod tamen fecerat in priore. Faustina enim, ut diximus, decessit anno Pii imperantis tertio, Fronto autem consul fuit Pii imperantis sexto. Quod si quis malit cum Patarolo et Turriano, Frontonem eo Panegyrico, quem Eumenius commemorat, laudavisse victoriam Britannicam M. Antonini; is duos Panegyricos Frontonianos lucidius adhuc distinguet. Nam qui Panegyricus dictus est a Frontone in consulatu, idem esse nequit, quo res Britannicas sub Marco multis post annis gestas exornavit. Porro huius Panegyrici a Frontone consule dicti duos locos superesse puto in Epistula Frontonis ad Marcum (2), ex qua etiam cognoscimus, ingenti plausu Oratori esse subclamatum. Denique moneo me hîc quidem hos Frontonis Panegyricos accurate distinxisse, verum in notis rem interdum perturbasse, quæstione nondum satis considerata.

(1) Vide titulum et clausulam Epistulæ 1. Libri 1. ad M.
(2) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. p. 33-34.

Orationes forenses.

Oratio pro Demonstrato Petiliano. Huius meminit ipse Fronto in Epistula quarta Libri prioris ad Marcum et septima Libri item prioris ad Verum: quo in utroque loco innuit præterea Fronto se ea Oratione offendisse Herodem, qui tamen sibi postea reconciliatus sit. Iamvero controversiam gravissimam inter Demonstratum et Herodem Atticum narrat Philostratus in *Herodis vita* (1), immo et Orationem ibidem commemorat ab eodem Demonstrato adversus Herodem dictam in castris Pannonicis, quum ibi Imperatores ambo Marcus et Verus belli Marcomannici gratia versarentur. De ea porro Oratione Demonstrati duo pronunciat Philostratus (2). Primum quidem eam visam esse admirabilem: *ὁ λόγος, ὃν διῆλθε πρὸς τὸν Ἡρώδην ὁ Δημόστρατος, ἐν θαυμασίοις δοκεῖ.* Alterum vero, eam continenter ab initio ad extremum fuisse gravem: *τὸ ἐμβριθὲς ἐκ προοιμίων εἰς τέλος διήκει τοῦ λόγου.* Iamvero Orationem suam *pro Demonstrato* singulari præstantia præditam ipse Fronto iudicasse videtur, quandoquidem duas tantum rogatus a Vero Orationes, tertiam

(1) Capp. 8. 11. 13.
(2) Cap. 13.

ultro adiunxit *pro Demonstrato* (1). Quod autem ad gravitatem attinet, ea scilicet est peculiaris ac propria dos Frontonianæ eloquentiæ, ut D. Hieronymus et Sidonius diserte aiunt (2). Quod vero in *Theodoti vita* ait Philostratus a Theodoto nempe adiutum esse Demonstratum ad Orationes concinnandas in Herodem; id non vetat, quominus scriptam a Frontone putemus eam admirabilem et gravem Orationem *pro Demonstrato in Herodem*, de qua loquitur Philostratus. Vel enim hic fallitur Theodotum supponens Frontoni, vel quoniam ibidem plures Orationes a Demonstrato in Herodem adornatas narrat, nihil abhorrere a veritate aio, Demonstratum tum a Frontone tum etiam a Theodoto accepisse Orationes quas in Herodem recitaret: Romanos enim pluribus oratoribus ad eamdem causam sæpe usos exploratum est. Denique, quoniam cognomen Demonstrati fuit *Petilianus*, hoc etiam noto, illum Petilianum, adversus quem D. Augustinus scripsit, præsulem Cirtensem fuisse. Quare suspicari licet, Demonstratum quoque Petilianum patria Cirtensem fuisse, adeoque Frontoni nostro popularem.

(1) Recole ad M. Lib. 1. Epist. 4. Ad V. Lib. 1. Epist. 7.
(2) Recole huius Commentarii Cap. 16.

Oratio Bithyna, seu *pro Bithynis*. Hanc a se olim dictam, retractasse deinceps et correxisse ait Fronto (1): in qua quidem Oratione satis diligenter coniecturam, quæ in crimine mandatæ cædis verteretur, diviserat argumentis ac refutaverat: quin et nova multa addiderat cum exornatione, locum in primis de acta vita cum Tulliano Orationis *pro Sylla* conferendum (2). Quamvis hanc causam mature egerit Fronto (3), aliæ tamen ab hac videntur eæ causæ Bithynæ, quarum meminit Plinius in Epistulis. Qua super re alibi nos disputavimus (4).

Oratio pro Ptolomæensibus (seu *Ptolemæensibus*). Ea laudatur a Charisio (5). Utrum autem hæc Oratio vel Bithyna incidere videantur in Orationem quam nos inscripsimus *de Testamentis transmarinis*, vide sis ad Fragmenta eius Orationis notam nostram 2. p. 278.

Invectivæ. *Invectiva in Pelopem*, quæ fuit Frontonianarum omnium nobilissima Oratio. De hac enim Sidonius ait (6): » M. Fronto cum

(1) Ad A. Lib. 1. Epist. 12.
(2) Epist. ad Victorinum post Orat. *de Hered. Matidiæ*.
(3) Ad A. Lib. 1. Epist. 12.
(4) Ad eamdem Epistulam p. 149-151.
(5) In Putschio p. 111. v. 43.
(6) Sidon. Epist. 10. Lib. 8.

» reliquis Orationibus emineret, *in Pelopem* » se sibi prætulit ».

Invectiva in Christianos. Huius bis meminit Minucius Felix (1). Quid autem adversus sanctissimam Religionem commentatus sit Fronto, ex eodem Minucio satis cognoscitur, qui ait obiectum ab Oratore Christianis incestum convivium, quod hi nefariæ libidinis causa usurparent. Est autem in ecclesiastica historia notissimum, eam calumniam christiano nomini olim inhæsisse, Gnosticorum (2) vitio, quorum mores turpissimi ab Ethnicis, ut fit, sive incaute sive de industria universæ genti christianæ impertiebantur. Quare et Ecclesiæ Patres vehementer laborarunt in ea infamia a vero Christi instituto secernenda (3). Hinc Frontonem, vulgari opinioni deditum, in Christianos invectum mirum non est. Nam et ipse M. Aurelius, re non perpensa, adversus christianum nomen alienato animo fuit (4). Tum et ille Octavius qui adeo copiose

(1) Capp. 9. et 31.

(2) De Gnosticorum teterrima secta agit Epiphanius tota Hæresi 26.

(3) Vide, si placet, locos Irenæi, Iustini, Tertulliani Eusebiique apud Natalem Alexandrum Hist. Eccl. Sæc. 2. Synops. Cap. 3. Art. 3.

(4) De rebus suis Lib. 11. ff. 3.

christiana sacra tutatus est, in eadem olim præiudicata opinione fuit: » Quam ini» quum sit, inquit (1), in incognitis et » inexploratis iudicare, nobis ipsis pœniten» tibus credite ». Denique idem Octavius censet (2), Frontonem hac Invectiva non rei testimonium fecisse, sed convicium more oratorio aspersisse. Ceterum Historiæ gallicanæ litterariæ Scriptores temere aiunt (3), prolixum locum huius Frontonianæ Orationis apud Minucium exstare. Plane enim incertum est, utrum ipsa Frontonis verba Minucius recitet, an ex eiusdem mente tantum loquatur (4).

Orationes incerti argumenti.

Sunt et ἀνεπίγραφοι Frontonis Orationes quas item recensere non piget.

Causa coram Hadriano imp. perorata, uti Dio testis est (5).

---

(1) Apud Minucium Felicem Cap. 28.

(2) Cap. 31.

(3) Tom. 1. Part. 1. p. 286.

(4) Minucium tamen in Frontonis lectione satis versatum ego ipse miratus sum. Nam Capite 7. *de Romanorum cladibus*, exprimit locum Frontonis *de bello Parthico* p. 320. Tum Capite 11. *de cadaverum sepulturis*, respexisse videtur ad Frontonis locutiones *de Testamentis transmarinis* p. 281. Denique Capite 18. *de regnorum auspiciis*, imitatur Minucius ea quæ dicuntur in quarta Epistula Libri alterius ad Verum p. 121.

(5) Lib. 69. Cap. 18.

Causæ duæ amicorum non minimi laboris, quas se tutatum apud Pium Fronto ipse narrat (1).

Causæ Cilicum, quorum negotia publice privatimque apud eumdem Pium semper defendit Fronto (2). Utrum autem aliqua ex his eadem fuerit ac Oratio *de Testamentis transmarinis*, id plane incertum est (3).

Duæ Orationes, quas præter Orationem *pro Demonstrato*, se misisse L. Vero petenti idem Fronto testis est (4). Ceterum fieri potest ut hæ Orationes eædem fuerint ac aliquot e nuper descriptis.

Præter Orationes, alia Scripta Frontonis in deperditorum numero sunt. Nimirum

Epistula de Somno, quam, præter dicta de Somno in tertia Alsiensi, a Frontone adornatam constat (5). Epistolæ.

Epistulæ græcæ de Amore (6). Tertia quidem harum ea est quam nos fecimus primam Libri græcarum. Verum e duabus prioribus

(1) Ad P. Epist. 8.
(2) Eadem Epist.
(3) Vide dicta ad Orat. *de Testam. transm.* p. 278. n. 2.
(4) Ad M. Lib. 1. Epist. 4. Ad V. Lib. 1. Epist. 7.
(5) Vide nos ad Epistulam 3. Alsiensem p. 193. n. 1.
(6) V. Epist. 1. græc. in principio.

una saltem periit: immo, ut videtur, utraque. Nam quarta græcarum *de Amore* existimanda est potius M. Aurelii. Qua de re disputavimus in utroque Monito ad primam et quartam eius Libri.

Epistulæ multæ ad Amicos, quas intercidisse constat evidenter ex Indicibus utrique ad Amicos Libro præfixis. Munus tamen scribendarum Epistularum iam inde ab ineunte ætate se infrequens habuisse Fronto testatur (1).

Libri ad Antoninum.

Libri aliquot ad Antoninum. Charisius (2) laudat quintum Frontonis Librum ad Antoninum. Est autem incertum, utrum Charisius designet Antoninum Pium, an Marcum Antoninum. Si illum designat, quatuor Libri desiderantur; si hunc, tres tantum amissi sunt: immo ne hi quidem fortasse, quoniam præter duos Libros Epistularum, plures sunt alii Libri seu Opuscula ad Marcum in nostra Editione. Et quidem mihi videtur potius Charisius denotare M. Antoninum. Nam et alio in loco (3) sic habet: » Fronto ad Antoninum imp. Libro II.

(1) Ad A. Lib. I. Epist. 5. in fine.
(2) In Putschio p. 198. v. 6.
(3) In Putschio p. 184. v. 35.

» *Male me*, *Marce*, *præteritæ vitæ meæ pœni-* » *tet* ». Porro neminem moveat, quod Liber ad Pium in nostra Editione inscriptus sit *unicus*: id enim studiose nos fecimus quia unicum in Codice deprehendimus. Ceterum quod ait Tillemontius (1) Epistulam Frontonis servari apud Charisium, is male scilicet legit Casauboni notam ad Capitolinum (2), qui locum tantum Frontonianæ Epistulæ a Charisio laudatum refert. Certe nulla Frontonis integra Epistula, immo ne Fragmentum quidem epistulare prolixius ante nostram Editionem exstabat.

Historia Parthici belli a L. Vero confecti. Hanc Fronto se scripturum recepit simul ac Verus rerum gestarum Commentarium misisset (3). Utrum promissa fecerit, diserte non constat. Quum tamen Verus materiam conficiendæ historiæ reapse ad Frontonem miserit (4), Opus quoque compositum prorsus iudico: præsertim cum et ambo Imperatores id impense Frontonem rogaverint (5), et ipse Fronto ex summis voluntatis opibus rem se adgressurum adfirmaverit (6). Historia belli Parthici.

(1) Hist. des Emp. in Antonin. Art. ultim. p. 332.
(2) Edit. Paris. an. 1620. in notis Casaub. p. 57. 2. F.
(3) Ad V. Lib. 1. Epist. 7. Princip. Hist. Fragm. 7.
(4) Ad V. Lib. 2. Epist. 2.
(5) Ad V. Lib. 1. Epist. 7. Lib. 2. Epist. 2.
(6) Ad V. Lib. 1. Epist. 7.

Commentarii in Ciceronem.

Adnotationes ad Ciceronianos Libros. Hos sane Libros emendatos distinctos et adnotatos a se misit Fronto ad Castricium (1). Quare et inter Ciceronis Interpretes collocandus est. Etsi autem anonymus in Ciceronem Commentarius, quem ego ipse nuper eudi, exscriptus est a me ex eodem Codice ac Fronto, tamen opportuno in loco dixi (2), cur is potius Asconii quam Frontonis mihi visus sit. Cuncta autem ex uno, ut nunc est, volumine prodiisse, nihil interest. Namque palimpsestus Concilii Chalcedonensis pluribus e codicibus consarcinatus est, quorum scriptura ætas et opera non modice differunt. Et quantum intersit inter Operum Frontonis et Interpretis Tulliani scripturas, ea specimina, quæ excudimus, docent.

Opera ludicra.

Fabula Polemonis, quam oppido facetam concinnasse se dicit Fronto (3). Utrum tamen eam inseruerit Operi alicui, veluti illas Somni (4), Vitis et Ilicis (5), Originis eloquentiæ (6),

(1) Ad A. Lib. 2. Epist. 2.
(2) Ad nuper citatam Epistulam. p. 164. n. 3.
(3) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. p. 38-39.
(4) Epist. 3. Alsien.
(5) De Orat. Lib. 1. Fragm. 6.
(6) De Orat. Lib. 2. Fragm. 3.

Heliotropii (1), Fraudis (2); an distinctam lucubrationem fecerit, uti narratiunculam de Arione, non constat.

Quæstiones convivales, seu de Scommatibus in convivio dicendis scripsisse Frontonem, adfirmaverat Macrobius (3). Etsi enim a Macrobii loco, ut nunc sunt Editiones, nomen Frontonis excidit, Ioannes tamen Sarisburiensis, qui eumdem accurate olim exscripsit (4), diserte habet: » Quod genus Veteres ita ludicrum non » putarunt, ut et Aristoteles de ipsis aliqua » scripserit, et Plutarchus, et Apuleius cum » Frontone ». Quo loco sine dubio Macrobius dicit Frontonem nostrum, quandoquidem eum coniungit cum Apuleio gentili eiusdem et æquali. Iam Frontonem nostrum lepido fuisse ingenio indicant Epistula duodecima libri ad Pium, tertia Alsiensis, et illa nugalia *laudes Fumi et Pulveris* et *laudes Neglegentiæ*.

De Re rustica recitantur Frontonis Excerpta quatuor in Geoponicis, nempe Lib. VII. Cap. 12. *De vino incolumi conservando.* Cap. 22. *De ratione vini limpidi faciendi.* Lib. Scriptum de Re rustica.

(1) Epist. 1. græc. in fine.
(2) Epist. 3. græc. in fine.
(3) Saturn. Lib. 7. Cap. 3. in fine.
(4) In Polycratico Lib. 8. Cap. 10.

XII. Cap. 10. *Quid commode iuxta olera seratur.* Lib. XIX. Cap. 2. *De canibus.* Utrum tamen Oratoris Cirtensis, an potius alius Frontonis Geoponicum illud Opus dicendum sit, diserte quidem definire non audeo. Sane Needhamus (in Prolegomenis ad Geoponica) de aliis Frontonibus cogitat: neque vehementer ab eo dissentio quod attinet ad Frontones laudatos in Hippiatricis. Ceterum Niclas plane incertam Needhami opinionem dicit. Ego in Frontonianis quæ detexi Operibus nullum fere indicium notare me memini, ex quo non temere coniicerem, Frontonem Cirtensem rei quoque rusticæ fuisse scriptorem. Illud tamen observo, duos nempe Numidas in Geoponicis laudari, Iubam et Apuleium (nam et ego iudico Apuleium potius Madaurensem, quam alium quemvis ad eam Collectionem esse adhibitum). Tertius igitur adiungatur, nisi id plane Eruditis displicet, geoponicis scriptoribus Numida Fronto.

Carmina græca et fortasse etiam *latina* scripsisse Frontonem facile suspicaberis, si eos locos nostræ Editionis considerabis, ex quibus constat eum ab utriusque linguæ poeticis studiis non abhorruisse (1).

(1) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. et 2. Item Lib. 2. Epist. 9. tum ad Verum Lib. 1. Epist. 9.

Scriptum de Re militari.

De acie Homerica, sive de instruenda acie iuxta Homeri præscriptum. Hoc Opus Frontonis ab Æliano laudatur (1). Quod autem quidam in eo loco Frontoni supponunt Frontinum, vehementer errant. Namque Ælianus aperte distinguit utrumque Scriptorem inter se. In procemio enim ad Hadrianum Augustum ait, se olim, Nerva imperante, collocutum Formiis cum Frontino consulari viro, militaris disciplinæ perito: Ἐπὶ δὲ τῷ θείῳ πατρί σου Νέρουᾳ, συμβαλὼν παρὰ Φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν ἐν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα, δόξαν ἐπενεγκαμένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν: *Sub divo autem patre (avo) tuo Nerva, congressus dies aliquot Phormiis cum Frontino consulari spectatissimo viro, et rei militaris peritia claro.* Mox Operis Capite primo de Frontone ait: Καὶ περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον τακτικῆς ἐνετύχομεν συγγραφεῦσι Στρατοκλεῖ τε Ἑρμείᾳ καὶ Φρόντωνι τῷ καθ' ἡμᾶς ὑπατικῷ ἀνδρί: *Ac sane de instruendis copiis iuxta Homeri præscriptum scriptores habemus Stratoclem, Hermiam, et Frontonem, qui nostra ætate vivit, virum consularem.* Iamvero Frontinus sub

(1) De instruendis copiis Cap. 1.

Traiano pridem extinctus erat, ut in illius vita ostendit Polenus (1) ex eo quod ei successit, favente Traiano, Plinius in auguratu, quæ fuit dignitas perpetua. Ergo Frontinus non fuit vir *consularis* sub Hadriano. Adde quod Codex Æliani Ambrosianus (I. 198. part. inf. qui est unicus apud nos) aperte habet tum in textu *Φρόντωνι*, tum in notulis marginis *Φρόντων*.

Fronto consularis imperante Hadriano.

XXV. Superest videndum, num Fronto noster fuerit vir *consularis* sub Hadriano, quoniam nos eius consulatum ad annum Pii imperantis sextum superius retulimus (2). Dicimus igitur, a Frontone nostro, præter consulatum ei ab Antonino Pio collatum, priorem alium sub Hadriano esse gestum videri. Nemo sane dubitat, Cornelium Frontonem, quem Gellius sæpe memorat, quemque Dio sub extremis certe Hadriani temporibus (3) primas in eloquentia tulisse scribit, eumdem esse ac nostrum Oratorem Cirtensem: namque ea res patet apud Gellium ex Frontonis ipsius disputationibus et pedum ægritudine (4); Dionem

(1) Cap. I. ff. 42.
(2) Huius Commentarii Capite 8.
(3) Vide Dionem Reimari Lib. 69. Cap. 18.
(4) Lib. 2. Cap. 26. Lib. 19. Cap. 10. quos locos conferas cum Frontonianis ad M. Lib. 1. Epist. 7. 8. Ad V. Lib. 1. Epist. 6.

autem de nostro loqui statuimus evidenter superius (1) ex collatione alterius loci eiusdem Dionis. Iamvero Gellius (2) diserte ait, Favorinum philosophum, se quoque socio adsumpto, invisisse M. Frontonem *consularem* pedibus ægrum (quem deinceps Lib. 19. Cap. 10. dicit Frontonem Cornelium pedes graviter ægrum). Atqui Suidas auctor est, hunc Favorinum, qui sub Traiano floruit, produxisse vitam usque ad Hadriani tempora, *γεγονὼς ἐπὶ Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος καὶ παρατείνας μέχρι τῶν Ἀδριανοῦ χρόνων τοῦ βασιλέως*. Ergo Favorinus sub Hadriano e vita discessit. Si igitur Favorinus invisit M. Frontonem *consularem*, sequitur ut M. Fronto fuerit *consularis* vivente Hadriano. Et quidem creditu pronum est, summum Oratorem ab Hadriano qui litteras impense coluit non vulgares honores retulisse. Præsertim quum sub eo Principe sine dubio Fronto Marco instituendo iam esset præfectus (3): qui quidem Marcus, ut de eo scribit Capitolinus (4), » educatus est in Hadriani » gremio, qui illum *Verissimum* nominabat,

(1) Huius Commentarii Capite 7.
(2) Lib. 2. Cap. 26.
(3) Recole huius Commentarii Caput 7.
(4) In *Marco* p. 34.

» et qui ei honorem etiam publice sexenni » detulit: octavo ætatis anno in Saliorum » collegium retulit, tum quinto decimo L. » Ceionii Commodi filiam eidem despondit: » et denique post obitum L. Cæsaris quum » successor imperii quæreretur, nec idoneus, » utpote decem et octo annos agens, Marcus » haberetur, Antoninum Pium Hadrianus ea » lege in adoptionem legit, ut sibi Marcum » Pius adoptaret ». Igitur mirum non est, Marci magistrum ab Hadriano dignitate consulari esse donatum. Id autem si vera coniectura freti nos dicimus, falso utique et Tillemontius (1) et Auctores gallicanæ Historiæ litterariæ (2) autumarunt, Favorinum vixisse usque ad Pii imperantis tempora, ex eo quod is inviserit Frontonem *consularem*. Nam quum Suidas vitam Favorini intra Hadriani tempora satis definite cohibere videatur, locus quidem Gellii eos potius admonere debuisset de consulatu Frontonis sub Hadriano, quoniam Favorinus invisit Frontonem *consularem*. Falso item Norisius in Epistula consulari (3) unicum dixit Frontonis consulatum.

(1) Hist. des Emp. in Hadr. Art. 19. p. 270.
(2) Tom. 1. Part. 1. p. 270.
(3) Edit. Veron. Tom. 2. p. 920.

Quod si Inscriptio Pisaurensis (1) narrat Frontonem simpliciter consulem, eademque Victorinum bis; si item Ausonius (2) de uno loquitur consulatu Frontonis; quid dicam? Frontonis tamen sub Hadriano principe consulatus prior ex Æliano comparato cum Dione, et præsertim ex Gellio cum Suida non minus pæne certo erui videtur, quam ille duplex Victorini ex lapide Pisaurensi. Nam quod ad Ausonium attinet, is quidem paulo indiligentius rem narrat. Dicit enim Frontonem Augusti magistrum ornatum consulatu ab Antonino. Qua in assertione alterutrum peccare videtur Ausonius. Si enim intelligit Antoninum Pium, Fronto non erat tunc Augusti sed Cæsaris Marci Magister. Sin Marcum Antoninum intelligit consulatus largitorem, profecto fallitur, namque sub Pio non sub Marco consul iterum Fronto fuit. Denique nemo putet opinionem nostram de priore consulatu Frontonis incidere vel in eorum sententiam qui consulem dixerunt Marci Magistrum anno Traiani imperantis tertio; id enim cum ætate nostri Oratoris congruere nequit: vel in

(1) Vide eam in mea Editione p. 200.
(2) In Gratiar. Act.

sententiam Oliverii (1) qui eumdem Marco imperante consulem iudicavit; neuter enim consulatus Frontonis ad Marci imperium pertinet.

Atque hæc brevis disputatio de priore consulatu Frontonis cum per se videbatur digna tractari, tum ad asserendum probabiliter Frontoni Opus *de acie Homerica* fuit necessaria. Ceterum si coniecturis quoque ad hanc rem uti licet, Fronto sane frequenter Homeri seu rerum Homericarum meminit (2), fuitque discipulus Dionysii qui agnomen *Tenuioris* seu *Ascalaphi* ab Homeri versu, quem semper in ore habebat, accepisse creditus est (3). Is autem versus

Οἱ δ' ἀμφ' Ἀσκάλαφον καὶ Ἰάλμενον ἠδὲ
Ὀρέστην

totidem verbis non exstat in Homeri editionibus, ut nunc sunt. Sed Libro quidem secundo Iliadis in Bœotia v. 512. legitur

(1) Recole huius Commentarii Caput 8. in fine.

(2) Ad P. Epist. 10. Ad M. Lib. 1. Epist. 3. Ad Am. Lib. 2. Epist. 5. de Orat. Lib. 1. Fragm. 2. et 5. Lib. 2. Fragm. 1. Princip. Hist. Fragm. 7. Laud. Fumi et Pulv. Laud. Neglegentiæ. Epist. græc. 2. 3. 7.

(3) Vide ad Fragm. 6. Libri 1. *de Orationibus* p. 240. in nota.

Τῶν ἦρχ' Ἀσκάλαφος καὶ Ἰάλμενος, υἷες
Ἄρηος.

Tum Libro nono v. 82.

Ἠδ' ἀμφ' Ἀσκάλαφον καὶ Ἰάλμενον υἷας
Ἄρηος.

Porro Dionysius eam versûs illius cantitandi consuetudinem ideo contraxisse videtur, quod Homero in primis delectaretur, eumque auditoribus in schola prælegeret. Haud ægre igitur mihi persuadeo, Frontonem a pueris in Homero, et fortasse in huius Bœotia seu acie Homerica præcipue exercitatum, Opus deinde adornasse de acie ex Homeri præceptis instruenda.

PARS II.

DE SCRIPTIS TRIUM CÆSARUM

ANTONINI PII, M. AURELII, L. VERI:

DEQUE FRAGMENTIS ALIORUM VETERUM
QUÆ OBITER APUD FRONTONEM OCCURRUNT.
ADDUNTUR OBSERVATIONES ALIQUOT
QUÆ HUIC EDITIONI PRÆMITTENDÆ VIDEBANTUR.

De Antonino Pio eiusque scriptis.

I. DICENDUM est aliquid et de ineditis aliorum Scriptorum Epistulis aut Fragmentis, quæ in Operibus Frontonianis se mihi obtulerunt. Atque ut a tribus Cæsaribus ordiar, de eorum quidem vita non hic mihi locus ad dicendum est constitutus, quorum res gestæ videlicet memoriæ hominum ac litteris satis proditæ sunt. Cur enim de Antonino Pio prolixius disseram, quum nulla ora tam sit remota, quô non illius virtutis fama pervaserit? qui pulcherrima anima præditus, summa mentis nobilitate, eximia etiam oris venustate universo orbi, dum vixit, unus in amore ac deliciis fuit: moriens autem tantam reliquit

suæ pietatis existimationem, ut eius nominis suavitas in auribus animisque omnium adhuc versetur. Huius Orationes memorat Capitolinus (1) ætate sua superstites, quas etsi plerique alienas esse dicerent, Marius tamen Maximus (qui plurium Cæsarum vitas scripsit) Antonino Pio vindicabat. His amissis, exstant in Iure multa Pii Rescripta, tum apud Eusebium (2) insignis Epistula ad Commune Asiæ *pro Christianis*, quam docti homines Pii esse contendunt (3). Eiusdem generis Pii Litteras ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Græcos laudat Melito apud eundem Eusebium (4). Nihil dico de Itinerario quod sub Antonini Augusti nomine circumfertur, de cuius Operis incerto Auctore videnda quæ disputat Wesselingius in præfatione ad suam optimam eius Itinerarii Editionem. Nunc mihi demum benigno fortunæ respectu tanti Viri germana scripta effodere obtigit, Libri nempe Frontonis ad Pium Epistulas secundam et sextam, atque,

(1) In *Pio* p. 30. D.
(2) Histor. Eccl. Lib. 4. Cap. 13.
(3) Vide ad D. Iustinum Martyrem in Editione Maurina Præfat. Part. 3. Cap. 5. ff. 3.
(4) Hist. Eccl. Lib. 4. Cap. 26.

ut arbitror, etiam duodecimam. Fuit autem Pius, teste Capitolino (1), *ingenio clarus, singularis eloquentiæ, nitidæ litteraturæ.* Neque ipse bonarum artium studiis exemplo magis profuit, quam ea, quæ Principem orbis terræ decebat, gratia et liberalitate. Grammaticos enim, rhetores, philosophos, medicos immunitatibus otiosos fecit, honoribus auxit, stipendiis remuneratus est: nullamque fere romanæ ditionis civitatem his adiumentis artium atque scientiarum carere passus est (2). Iam in his litteris, quas nos proferimus, simplicitas, modestia, gravitas etiam imperatoria elucet. Tum in secunda (Libri nuper laudati) mirus amor et facilitas in Faustinam uxorem exprimitur. Duodecima denique festivissimis iocis condita est, Piique prorsus indolem prodit, qui, ut prisci Scriptores aiunt (3), familiarissime cum amicis, rure præsertim, vitam agitavit.

De M. Aurelio eiusque scriptis.

11. Venio nunc ad sanctissimum Principem maximæque sapientiæ omnium Romanorum M. Aurelium Antoninum, quem quidem orbis

(1) In *Pio* p. 25. A.

(2) M. Aurelius *de rebus suis* Lib. 1. ff. 16. Modestinus Digest. Lib. 27. Tit. 1. Leg. 6. Capitolinus in *Pio* p. 30. D.

(3) M. Aurelius et Capitolinus locis nuper citatis.

terrarum non sicut Pii sapientia adoptatum, sed de cælo delapsum intuitus est. Quippe is ad apicem principatûs evectus statim omnes Romanorum veterum virtutes exemplis suis renovavit. Morum in eo fuit spectatissima integritas, philosophiæ non solum studium sed aperta professio, fortitudo in periculis bellicis, civilitas in pacis artibus, in omni re summa virtus imperatoria. Atque hic tantus vir, qui, ut ait Capitolinus (1), in omni vita sua philosophatus est, plurima scriptis commendavit. Libri XII. *de rebus ipsius* græce exstant. Paucæ etiam latinæ eiusdem Epistulæ ex Historia Augusta decerptæ græco Operi in aliquot Editionibus attexuntur (2). Insignem autem iam inde a pueritia prudentiæ iuris condiscendæ dedit operam Marcus (3). Igitur in imperium

---

(1) In *Marco* in principio.

(2) Vide Editionem Lipsiensem anni 1729. Ceterum Marci et Faustinæ mutuæ litteræ de Cassii rebellione spuriæ Tillemontio videntur (Hist. des Emp. ad M. Aurel. Not. 19.). Spuria item est Marci Epistula (ea quidem quæ nunc exstat) ad Senatum de siti extincta et victoria impetrata per christianorum militum preces in Germania (V. Pagium ad Baron. ann. Ch. 176.). Nihil denique moror Guevaræ Hispani Opus sub specioso titulo editum M. AURELII seu HOROLOGII PRINCIPUM, quod fictitium omnes sciunt.

(3) Ad M. Lib. 2. Epist. 9.

adsumptus, sive cum Vero fratre sive deinceps huic superstes, tot edidit constitutiones et leges, ut eas xx. voluminibus Papyrius Iustus comprehendisse putetur (1). Nunc iis pæne cunctis deperditis, manent tamen in Iure reliquiæ ingentes, quæ in prudentium responsis passim laudantur. Multas etiam Orationes ad exercitum, ad populum, et in senatu Marcus habuerat. Namque ei adhuc Cæsari ius quintæ relationis ab Antonino Pio additum fuerat (2). Iam eæ Orationes, præsertim in senatu dictæ, legum sæpe vice et publici iuris functæ sunt. Quin et versibus Marcus viridi in ævo pangendis curam impendit (3). Tot eius scriptis amissis, nunc feliciter prodeunt Epistulæ latinæ XVIII. in adolescentia pleræque conscriptæ. Quibus addas et quartam Libri græcarum, quæ Marci potius quam Frontonis videtur (4). Iam vero in his sive iocos spectes, sive in Frontonem magistrum miros amores, sive studiorum descriptionem, expletur animus (ut cum Tullio loquar)

(1) Vide Io. Bertrandum *de Iurisperitis* in *Papyrio Iusto*.
(2) Capitol. in *Marco* p. 35. D.
(3) Ad M. Lib. 1. Epist. 1. Lib. 2. Epist. 9.
(4) Vide Monitum ei Epistulæ a nobis præpositum.

iucundissimæ lectionis voluptate. Habet hoc præterea virorum excellentium existimatio et gloria, ut eorum initia et quasi virtutis pueritiam singulari quadam curiositate scrutari gestiamus. Immo Marci lucubrationes, quod quidem ad stilum adtinet, omnium optimas nos deprehendimus, quas nimirum adolescens sub Frontone magistro scriptitavit: quo deinceps relicto, ad tristius quoddam et incultum orationis genus deflexisse videtur (1).

De L. Veri indole, gestis militaribus, et animi dotibus.

III. Tertius est Cæsar L. Verus, cuius item sex ineditæ Epistulæ cum Frontonianis Operibus nunc typis mandantur. De L. Veri vita si mihi dicendum foret, hac uterer moderatione dicendi, ut neque eius vitia laudare, nec virtutes silere viderer. Namque is ab Ælio Vero Cæsare naturali patre hoc habuit hereditarium, ut voluptatum illecebris liberius indulgeret: neque eo robore animi fuit, ut æque ac Marcus, nihil expetendum putaret, nisi quod esset cum severitate et dignitate coniunctum. Naturam tamen suam versare ad tempus et regere calluit. Etsi enim blandimentis ætatis Lucii sæpe virtus sopita conniveret, tempora tamen oblectationis

(1) Vide Lib. 2. *de Orationibus* Fragm. 3.

occupationisque dispertiit, seque impense revocavit aliquando tum ad litterarum studia, tum ad curam rei militaris. Itaque, Marco ipso iudice, fuit idoneus qui et imperii socius, nullo adhuc exemplo, adscisceretur, et ad bellum maximum Parthicum mitteretur. Ac difficile quidem fuit in Syria regnisque voluptate diffluentibus ita versari iuvenem Imperatorem, ut nihil aliud quam de officio et de armis cogitaret: ceterum idem ducibus optimis usus, primum quidem hostes inflammatos victoria continuit, tum denique Vologæsum ac Osroem ingenti clade profligatos ultra Euphratem ac Tigrim in fugam compulit (1). L. Veri effigiem et Parthicam expeditionem graphice pingit græcus Auctor Chronici, quod ab orbe condito ad imperium Zenonis senioris in codice Ambrosiano (2) pertingere vidi. Neque locum piget exscribere. *Μάρκος ἀπέστειλε Λεύκιον τὸν γαμβρὸν αὐτοῦ ἵνα πολεμήσῃ μετὰ τῶν Πάρθων, ὧν ἦν ἀρχηγὸς ὁ Βολόγαισος. Ἦν τὸν* (3) *δὲ ὁ Λεύκιος καλὸς καὶ*

(1) Lucianus quomodo scribenda sit Historia Cap. 19. Iamblichus apud Photium Cod 94.

(2) L. 46. part. sup.

(3) Chronici Auctor utitur infima græcitate.

εὔμορφος καὶ εἰς τὸ κορμὶν του καὶ εἰς γνώμην· μακρὸς, ξανθὸς, ῥοδοπρόσωπος, γλυκὺς, εὐόφθαλμος, καὶ ὅλος ἦν τὸν ὡραιωμένος. Ὡς γοῦν ἀπῆγε καὶ συνεπλάκη μετὰ τῶν ἐπηρμένων καὶ ἀγρίων Πάρθων, ἀπείρου ὄντος πλήθους, καὶ ἐγκαυχωμένων εἰς τὸ δοξάριν· τέλος ἐνίκησε καὶ κατεδίκασεν αὐτοὺς: Generum suum Lucium misit Marcus ad bellum contra Parthos, quibus Vologæsus præerat, administrandum. Fuit autem Lucius, pulcher decens corpore et mente: procerus, flava cæsarie, vultu roseo, blandus, grato intuitu, et omnino venustus. Hic cum in Parthos duxisset sane animis elatos ac ferocientes, atque cum innumerabili multitudine sagittandi peritia exultante conflixisset; ad extremum eos vicit ac pro merito ultus est. Res a Vero in Asia gestas Fronto, vir ab adulandi consuetudine alienus, cum in Epistulis laudavit (1), tum etiam adeo suspexit, ut Opus singulare adornaverit, quo Verum suum cum Traiano ipso contendere non dubitavit (2). Duabus tamen virtutibus Verus maxime effulsit, sinceritate scilicet et caritate in suos: quam utramque

(1) Ad V. Lib. 1. Epist. 1. Lib. 2. Epist. 4.

(2) Vide Princip. Hist. Fragm. 1. et 7.

ipse quidem Verus Frontoni magistro acceptam retulit (1); Marcus autem Aurelius (quod merito miremur) ab ipso Vero se didicisse cum aliis multis animi dotibus confessus est (2).

De L. Veri eloquentia.

IV. Sed iam me L. Veri elocutio miris illecebris, ut de se dicam, invitat. Scio, homines interdum ut aut contemnant aut admirentur scriptum aliquod, cæca potius opinione, quam aliqua certa ratione commoveri. Ut nihilominus de me confitear, ego quidem quoties sex illas, quas deprehendi, L. Veri Epistulas perlego, facere non possum, quin huius Cæsaris stilum ac sensus longe Pii Marcique eloquentiæ præferam. Atqui adversarius mihi gravis in hac opinione constitutus est Capitolinus, qui de L. Vero, postquam eius Magistros recensuit, sic ait (3): » Nec tamen » ingeniosus ad litteras. Amavit autem in » pueritia versus facere, post orationes: et » melior quidem orator fuisse dicitur, quam

(1) Ad V. Lib. 2. Epist. 1.

(2) *De rebus suis* Lib. 1. ℞. 14. Quo loco etsi pro *Vero* legitur *Severus*, error tamen, qui irrepsit etiam in Galeni, Epiphanii et Theophili (adde Cassiodori et Glycæ) scripta satis evidenter emendatur a Gatakero aliisque apud eumdem Criticis.

(3) In *Vero* p. 52. A.

» poeta: immo (ut verius dicam) peior poeta » quam rhetor. Nec desunt qui dicant eum » fuisse adiutum ingenio amicorum, atque » ab aliis ei illa qualiacumque sunt, scripta. » Siquidem multos disertos et eruditos sem- » per secum habuisse dicitur ». Hanc Capitolini sententiam plerique omnes, qui de Vero deinceps scripserunt, secuti, de studiis eius et litteratura non sine contemptu quodam locuti sunt: quorum tamen auctoritates causam Veri nihilo peiorem efficiunt, quandoquidem Capitolini dictum omnes exscripserunt.

Scripta, quæ nos invenimus nomen L. Veri præ se ferentia, revera L. Verum Auctorem habent.

v. Porro ego ut in primis eam calumniam disiiciam, ingenio scilicet amicorum adiutum Verum fuisse; quis, aio, vel iudicium illud de Polemone rhetore a Vero pæne duodenni (1) ad Frontonem magistrum scriptum, non illius ingenii fructum existimet? Quis eam elegantem Epistulam, qua Frontonem, qui se insalutato e Palatio discesserat, amice statim Verus Augustus corripuit (2), scriptam alia quam eiusdem Veri manu arbitretur? Considerent porro Eruditi illam etiam Epistulam

(1) Vide superius huius Commentarii Part. I. Caput 7.
(2) Ad V. Lib. I. Epist. 3.

ex Parthica, ut videtur, expeditione missam, quum se Verus Frontoni de Litterarum intercapedine purgavit (1). Quam mirifici sensus, quam ingenui, quam demissi, quam ex intimo amore ac reverentia deprompti! Quis eruditus librarius Imperatori Vero tam nativos sensus commodavisset? Age vero proximam Epistulam, qua Frontonem orat Verus, ut Parthicum bellum scribere adgrediatur (cui rei et copiosam materiam suppeditat) quis, rogo rursus, si paulo attentius legat, alia mente manuve quam Veri ipsius elaboratam suspicetur? Præsertim cum et rem optatissimam anxie petat, et modum, qui sibi placeat, scribendi indicet, et suam gloriam augendam cupide admodum, etsi non impudenter, Frontoni committat. An Cicero (si licet exemplo uti) etiamsi forte occupationibus maximis premeretur, famigeratam illam Epistulam ad Lucceium (2), quæ in genere pari versatur, alia mente manuque quam sua scribi passus esset? Quod si Veri sunt hæ Epistulæ, iam eius in scribendo præstantia satis abundeque

(1) Ad V. Lib. 2. Epist. 1.
(2) Ad Famil. Lib. 5. Epist. 12.

asserta est. Nam de horum scriptorum singulari bonitate, qui aliquantulum in his rebus intelligat, nemo dubitabit. Huc accedit ingens auctoritas Frontonis ipsius, qui Veri eloquentiam magno præconio celebravit (1): eiusque Litteras ad senatum, disertissimis illis, quæ apud Thucydidem atque Sallustium leguntur, Litteris æquiparasse videtur. Præterea, si Verus infans fuisset, num aperte de suo magisterio Fronto apud eum gloriaretur? num illius eloquentiam suo ductu auspicioque natam diceret? num ex ea triumpharet? num se posse adfirmaret iam de vita læto animo excedere, magno operæ suæ pretio percepto, magnoque monumento ad æternam gloriam relicto? Atque hoc loco revocandus in memoriam est Frontonis mos, quæ vera sibi viderentur, semper dicendi (2). Marcum certe, qui lusa magistri spe ab eloquentia nonnihil deflexerat, ut se in philosophiæ castra totum coniiceret, quam gravi quam crebra quam libera reprehensione castigat in Libris *de Orationibus*?

---

(1) Ad V. Lib. 2. Epist. 4. p. 116-117. et in Supplemento eius Epistulæ, quod nos exhibemus post Reliquias Orationum Frontonis.

(2) De Nep. A. Epist. 2. p. 212.

Putamus igitur, si Verus alienam eloquentiam sibi induisset, aut id omnino Magistrum latuisse, aut hunc rei conscium, assentatione teterrima usum esse? Alioqui Fronto iniquissimus habendus esset, si Marcum ab eloquentia declinantem severe corripuisset; Verum ea plane carentem summis laudibus extulisset. Quod igitur attinet ad Veri eloquentiam, quoniam eius Scripta contemplari iam possumus, oculis potius nostris, quam Capitolini dictis obtemperemus. Tum si auctoritati alienæ fidendum est, testimonio quidem Frontonis nihil sit antiquius. Quare et obsolescat ista calumnia re ipsa multo magis quam argumentis refutata: et Verus imperator inter disertos venustioresque latinæ linguæ Scriptores iure optimo collocetur.


L. Veri vita scriptis nuper inventis atque nummis illustratur.

VI. Et quoniam ego peculiari quodam erga L. Veri eloquentiam studio et admiratione feror, lubet et aliquot capita vitæ eiusdem attingere, quorum in duobus ad eum Libris mentio fit: eaque numismatibus Mediolanensis Musei apte et breviter declarare. Magnam quippe esse sensi huius Musei ad litterarios labores utilitatem: quod quidem, adnitente in primis præclaro eius Custode *Cattaneo*, in tantam brevi tempore copiam

dignitatemque subvectum est, ut non in Italia solum, sed exteris quoque gentibus iam eniteat.

1. Epistula igitur Frontonis tertia Libri alterius ad Verum tota est de huius valetudine, quam ipsemet intemperantia conviviorum offenderat. Id autem contigit, ut ibidem in nota monui, quum Verus in Asiam contendens, per Campaniam Apuliamque iter faceret. Et Capitolinus quidem ait (1): » Quum Marcus co-» gnovisset Verum apud Canusium ægrotare, » ad eum videndum contendit, susceptis in » senatu votis: quæ posteaquam Romam re-» diit, audita Veri transmissione, statim reddi-» dit ». Iamvero nummus, quem heic subiicimus, cusus est anno primo belli Parthici, uti colligitur e tribunitia Marci potestate XVI. Habet autem imaginem et inscriptionem Marci, quia vota pro L. Veri salute a Marco, ut diximus, suscepta et reddita sunt: qui Fratre bellum in Asia gerente, ita Romæ substitit, ut tamen omnia, quæ ad eam expeditionem facerent, ipse diligenti consilio disponeret atque ordinaret (2).

(1) In *Marco* p. 37. C.
(2) Capitolinus ibidem D.



IMPerator CAESar M. AVRELius ANTONINVS AVGustus Pontifex Maximus.

Caput laureatum.


SALVTI AVGVSTORum TRibunitia Potestate XVI. COnSul III. *addito* Senatus Consulto.

Mulier stans serpentem ab ara adsurgentem ex patera pascit, sinistra sceptrum gerens.

2. Adlocutiones suas ad exercitum commemorat ipse L. Verus in Epistula ad Frontonem (1). De nummo id pariter testante locutus sum ad eum locum. Neque enim, cum in eas Epistulas commentabar, adhuc certo constitueram ipsos nummos in hac mea Editione exhibere. Quare et rei nummariæ Scriptores, apud quos ii extant, citavi, et inscriptiones nummorum meis notis interdum inserui: quæ iam in iis locis minus necessario facta videbuntur, quum ad hunc Commentarium

(1) Ad V. Lib. 2. Epist. 2.

respicere Lectores possint. Nunc ut ad nummum veniam, hic cusus est belli Parthici anno secundo, quæ res constat e tribunitia Veri potestate tertia, ut ibidem in notis dictum est.



IMPerator CAESar L. AVRElius VErus AVGustus. TRibunitia Potestate III. COnSul II.

Caput laureatum.

ADLOCVTIO.

Imperator paludatus stans in suggestu exercitum adloquitur.

3. Locum præterea in Supplemento quartæ Epistulæ Libri alterius ad Verum (1) declarandæ historiæ aptissimum nobilissimumque notavi, ad quem priusquam venio, pauca præfabor. Locus insignis Epistulæ Frontonis ad L. Verum, quo confirmatur Historia Sohæmi Armeniæ regis.

(1) Extat hoc Supplementum, ut paulo ante dixi, post Reliquias Orationum Frontonis.


Vologæsus III. rex Parthus quum Armeniam invasisset, regem eius Romanorum tutela fidentem expulerat. Iam inter ceteros Romanorum de Parthis victoriæ fructus Armenia quoque recepta fuit: quare et Vero imperatori additus est titulus *Armeniaci.* Verus igitur Armeniam recuperatam priori regi reddidit. Sed rem indefinite admodum Capitolinus expressit his verbis (1): » Confecto bello regna » regibus, provincias vero comitibus suis » regendas dedit (Verus) ». Porro quis fuerit rex Armeniæ restitutus a Vero, narrat Iamblichus apud Photium (2). Se quippe Iamblichus Babylonium ait floruisse temporibus Sohæmi Achæmenidis filii, Arsacis nepotis: qui (Sohæmus) ex regibus ortus fuit, creatus tamen et Romæ senator et consul (nimirum eo fortasse intervallo quo pulsus Vologæsi armis exulavit a regno): deinde iterum Armeniæ maiori rex datus est: idque Imperatore M. Antonino, qui Verum fratrem et generum suum ad bellum adversus Vologæsum bellandum misit. Rem breviter

(1) In *Vero* p. 55. B.
(2) Cod. 94.

attingit etiam Suidas in Μάρτιος Βῆρος, Martium nempe Verum (unum e ducibus in hoc bello (1)) misisse Thucydidem qui Sohæmum in Armeniam reduceret. Ad quos Iamblichi et Suidæ locos Eckhelius sic queritur (2): » Hem! quam tenues rivulos eos» que fere lutulentos iubemur consectari, » cum tam illustris imperii Historiam scri» bere aggredimur »! Nunc autem ex testimonio Frontonis non æqualis solum sed et magistri Divorum Fratrum, ad quem eius belli commentarios Verus ipse imperator mittebat, luculenter patet, regem Armeniæ a Vero datum (seu restitutum) cuius fidem faciebant nummi, fuisse reapse Sohæmum: adeoque hic Historiæ locus in dubia obscurorum Auctorum fide diutius non nutabit. Diserte enim in Supplemento quartæ Epistulæ Libri alterius ad Verum hæc leguntur Frontonis verba: »Quod Sohæmo potius, quam Vologæso » regnum Armeniæ dedisset ». Et Armenia quidem anno belli Parthici secundo recepta est. Titulus enim *Armeniaci* occurrit in Veri nummis cum huius tribunitia potestate

(1) Vide ad V. Lib. 2. Epist. 2.
(2) Doctr. num. vet. Tom. 7. p. 91.

tertia (1). Nummus tamen, in quo Sohæmici regni nova auspicia exhibentur, anno illius belli tertio cusus est.



L. AVREliue VERVS AVGustus ARMENIACVS.

Caput laureatum.


TRibunitia Potestate IIII. IMPerator II. COnSul II. S. C. REX ARMENiis DATus.

Imperator in suggestu sedens, adstantibus tribus figuris, diadema adstanti infra regi circumdat.

4. In Epistula prima Libri prioris ad Verum innuit Fronto eiusdem Veri reditum a Parthica, ut videtur, expeditione. Porro pro Veri felici reditu plures cusi sunt nummi, uti ibi item in

(1) V. nuper laudatum Eckhelium Tom. 7. p. 90.

nota dixi. Quem heic exhibemus, is pertinet ad annum quartum belli Parthici, ut ex Veri tribunitia potestate quinta colligitur (1).



IMPerator CAESar L. AVRELius VERVS AV-
Gustus.

Caput nudum.

TRibunitia POTestate V. COnSul II. FOR-
Tuna REDux. S. C.

Mulier sedens cum temone et cornucopiæ.

(1) Fronto in Epistula quarta Libri prioris ad Verum (conferenda cum tertia) loqui item videtur de Veri reditu: sed quum ibi addat (p. 88.) se *quarto post mense* visurum esse Verum Augustum, alius omnino ibi reditus, quam ille ab Oriente, intelligendus est. Nisi forte, quod tamen pæne temere suspicamur, erravit amanuensis scribens *mense* pro *anno*. Quare ad eum locum fortasse cogitandum est de illo cito reditu L. Veri a prima Marcomannica expeditione

5. Parthicæ victoriæ, quam Verus scriptis ad senatum laureatis litteris (1) nuntiavit, sermo multus est in Frontonis Operibus, præsertim vero in Epistula quarta Libri alterius ad Verum, et in Opere *Principia Historiæ*. Immo Fronto quum ad M. Antoninum illam longam Epistulam *de Bello Parthico* scriberet, vaticinio quodam eam victoriam iampridem prædixerat his verbis: *sed victoriam brevi spera* (2). Porro de triumpho post illud bellum Romæ celebrato sic loquitur Capitolinus (3): » Posteaquam a Syria victor Frater (L. Verus) » rediit, patris patriæ nomen ambobus (Imperatoribus) decretum est. Corona civica præ» terea oblata est ambobus, petiitque Lucius » ut secum Marcus triumpharet. Petiit præ» terea Lucius ut filii Marci Cæsares appel» larentur. In triumpho autem liberos Marci » utriusque sexus secum vexerunt, ita tamen » ut et puellas virgines veherent. Ludos etiam » ob triumphum decretos spectaverunt habitu


calamitosissimo anno Urbis 920. Qua super re videsis Tillemontium Histoir. des Emp. M. Aurel. et L. Ver. Art. 10. in fine, et Eckhelium Opere nuper citato Tom. 7. p. 57.

(1) Ad A. Lib. 1. Epist. 7. Ad V. Lib. 2. Epist. 4.

(2) In Editione mea p. 327.

(3) In *Marco* p. 40. B - C.

» triumphali ». Parthicam victoriam repræsentat et nummus eo ipso anno cusus quo uterque Imperator speciosissimum triumphum egerunt.



L. VERVS AVGustus ARMeniacus PARTHicus MAXimus.

Caput laureatum.

TRibunitia Potestate VI. IMPerator IIII. COnSul II. S. C.

Victoria stans dextra palmam, sinistra clypeum palmæ appensum contingit, cui clypeo inscriptum: VICtoria PARthica.

6. In prima Libri prioris Epistula hæc verba Fronto scribit ad Verum: *Socrum et*

liberos vestros saluta. Socrum quidem Veri constat fuisse Faustinam iuniorem: liberi autem eiusdem Veri ii nimirum intelligendi sunt, quos de Lucilla uxore suscepit. Quæ res nondum satis liquido a Scriptoribus tradita (uti ad eam partem Epistulæ in nota monui) iam ex hoc loco Frontonis maiorem accipit firmitatem, siquidem verba *liberos vestros* ad Veri quoque ipsius genituras referenda videntur. Ceterum in ea ipsa Epistula loquitur Fronto, ut paulo superius dixi, de L. Veri reditu a Parthica ut videtur expeditione. Atqui eo tempore L. Vero ex Lucilla nonnisi fere unica et parvula proles esse potuit; Lucilla enim desponsata ei quidem fuit in imperii primordiis (1), hoc est anno Urbis DCCCCXIV.; sed nupsisse non videtur ante tertium belli Parthici annum, id est Urbis DCCCCXVIII. quo ad eum in Asiam a Marco sponsa missa est (2). Ergo nonnisi blanditia quadam infantulum L. Veri salutatum Fronto voluit cum Socrûs ipsius liberis. Est autem nummus eiusmodi:

(1) V. Capitol. in *Marco* p. 36. C.

(2) V. Capitol. rursus in *Marco* p. 38 A. et Eckhelium Opere sæpe laudato Tom. 7. p. 50.



LVCILLA AVGVSTA.

Caput muliebre.

FECVNDITAS. S. C.

Mulier sedens infantem lactat duobus aliis adstantibus.

VII. Addam postremo inscriptionem L. Vero olim positam, quam Cl. Andreas Mustoxidus Ioniarum Insularum Historiographus, et de Isocrate, ut omnes norunt insigniter meritus, missam sibi Patris ex Urbe Achaiæ nuper accepit, mihique, si vellem, publicandam benigne obtulit. Detecta autem dicitur in ea

Inscriptio L. Veri nuper eruta.

vicinia Kalendis Septembris anno post Ch. N. MDCCCXIV.

ΑΙΛΙΟΝ . ΑΥΡΗΛΙΟΝ
ΟΥΗΡΟΝ . ΚΑΙΣΑΡΑ
ΟΙ . ΕΛΛΗΝΕΣ . ΕΥΧΑΡΙ
ΣΤΟΥΝΤΕΣ . ΤΟΙΣ . ΘΕΟΙΣ
ΚΑΙ . ΑΙΤΟΥΜΕΝΟΙ . ΤΑ . ΑΓΑΘΑ
ΤΩΙ . ΟΙΚΩΙ . ΕΙΣΗΓΗΣΑΜΕΝΟΥ (1)
ΚΑΙ . ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ . ΠΑΡΑΣΧΟΝ
ΤΟΣ (2) . ΤΙΒ . ΚΛ . [ΣΑΙΘΙΔΑΚΑΙΝΑ
ΝΟΥ (3)] ΤΟΥ . ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ . ΑΥ
ΤΩΝ (4) . ΔΙΑ . ΒΙΟΥ . ΚΑΙ . ΕΛΛΑΔΑΡ
ΧΟΥ . ΑΠΟ . ΤΟΥ (5) . ΚΟΙΝΟΥ . ΤΩΝ
ΑΧΑΙΩΝ . ΑΝΕΣΤΗΣΑΝ

Ælium Aurelium Verum Cæsarem Græci gratias Diis agentes et bene precantes domui imperatoriæ, *suadente et impensas præbente Tiberio Claudio .... Pontifice ipsorum perpetuo et Helladarcha, ex ærario Communis Achæorum, dedicaverunt.*

Iamvero ex hac Inscriptione patet 1.° Commune Achæorum statuam L. Vero Cæsari

(1) Apographum ΕΙΣΗΓΗΣΑΜΕΝΟΙ.
(2) Apographum ΠΑΡΑΧΟΝΤΟΣ.
(3) Locus corruptus, ut videtur, in Lapide vel Apographo.
(4) Apographum ΑΥΤΟΝ.
(5) Apographum ΤΟΝ.

dedicasse, prorsus ut cives Abeatæ ex decreto eorumdem Achæorum Hadriano eam statuam cum inscriptione dedicaverunt, quam in Monumentis Peloponnesiis Paciaudius copiosissime illustrat (1). Patet 2.° id factum antequam Verus bellum Parthicum confecisset: desunt enim agnomina *Armeniaci*, *Parthici*, *Medici*. 3.° Quum Verus Imperator unicum iter in Græciam et Orientem susceperit, sequitur ut hæc inscriptio cum statua ei posita fuerit Græciæ urbes præternaviganti, adeoque belli Parthici anno primo. Verus enim ad id bellum contendens » apud Corinthum » et Athenas inter symphonias et cantica navigabat » ut ait Capitolinus (2). 4.° Cum positus est hic titulus, Pontifex erat perpetuus et Helladarcha Tiberius Claudius quidam, cuius cognomen fortasse latet in corrupto vel lapidis vel apographi loco. Fuit autem *Helladarcha* totius Helladis, seu Græciæ propriæ, sacer magistratus, uti apud alias gentes *Asiarcha*, *Bithyniarcha*, *Galatarcha* etc. 5.° Pro vocabulo ἀνίστημι adhibetur ἀνατίθημι in Inscriptione nuper laudata Hadriani, tum in pluribus monumentis, de quibus perdocte

(1) Vol. 2. p. 77. et seqq.
(2) In *Vero* p. 54. D.

agit Eckhelius in Tractatu *de nummis inscriptis* ἀνέϑηκε (1).

De aliorum Auctorum Fragmentis.

VIII. Nunc ut aliorum etiam Auctorum reliquias ineditas, quæ fortuito cum Frontone emergunt, brevissime indicemus, ordinem quidem merito ducit græca Appiani historici pæne integra Epistula (2), stilo sane eleganti, et perbonis sententiis referta, quæ copiosiorem Frontonianam in simili genere provocavit. Aliorum loci breves hi sunt: Ennii duo (3), Levii unus (4), Nevii unus (5), Cæcilii unus (6), Laberii tres (7), Catonis duo (8), Plauti versus integri tres (9) ex Colace comœdia eiusdem deperdita, Sallustii tres (10), Svetonii unus (11), Theodori rhetoris

(1) Doctr. num. vet. Tom. 4. p. 368. et seqq.

(2) Lib. Græc. Epist. 6. p. 426-431.

(3) Editionis meæ p. 79. 267.

(4) P. 48. Porro apud Gellium non solum Lib. 2. Cap. 24. quod dixi ibi in nota, sed etiam Lib. 12. Cap. 10. Lib. 19. Cap. 7. supersunt Levii Fragmenta.

(5) P. 80.

(6) P. p. 69.

(7) P. 24. 67. 245.

(8) P. 69. 175.

(9) P. 80. Nam alter locus paginæ 179. pertinet ad Pœnulum 3. 2. 25. cum varietate lectionis.

(10) P. 266. 271. Vide etiam p. 317. n. 3.

(11) P. 32.

unus (1), Chrysippi unus (2), Dionysii Tenuioris pars nobilis Fabulæ (3), denique locus etiam, ut videtur, Gallicani declamatoris (4). Et nos quidem pro temporis angustiis et occupationibus non plane socordi cura scrutati sumus, num hæc item minutiora Fragmenta reapse essent inedita. Ceterum etiamsi nobis ea in impressis libris non occurrerint, fieri tamen potest ut otiosiores alii et oculatiores aliqua certe ex his iampridem vulgata typis notent.

Nova vocabula latina et græca.

IX. Novis præterea vocabulis Lexica ditamus. Ac primum revocandum in memoriam est, quam doctus quam diligens quam scrupulosus Grammaticus Fronto fuerit, quod ex Gellio, ex eius Opusculo iampridem publico *de Differentiis vocabulorum*, et ex nostra modo Editione luculenter constat. Quare haud dubium, quin hæc vocabula, saltem latina, purissimo de fonte manent. Hæc autem fere sunt quæ nos in Frontone observavimus nova vocabula: nisi forte aliquando vel festinatione vel mentis evagatione labimur, quod paulo ante in simili re monuimus.

(1) P. 264-265.
(2) P. 220.
(3) P. 241-242.
(4) P. 266.

Adalgidus, p. 69.
Admurmurari, *deponenti formá*, p. 34.
Agnasco, p. 44. *quod retinendum videtur secus ac dixi in nota.*
Anucella, p. 153.
Apopsis, p. 180.
Buonus, p. 243. *nisi forte est mendum pro* bonus.
Catachanna, p. 77. et 244.
Causidicatio, p. 298.
Chamætortus, a, um, p. 254.
Cola, æ, p. 228. *pro* colon.
Cordax, *adiectivá formá*, p. 246.
Deliberamentum, *ex Laberio*, p. 24. *Ceterum Laberius licentius vocabula finxit. V. Gellium* XVI. 7.
Dictabolarium, *ex eodem*, p. 245.
Eductor, p. 32.
Encomiographus, p. 68.
Eximans, antis, *nisi locus mendosus est*, p. 69. n. 3.
Exradicitus, *ex Plauto pro* eradicitus, p. 245.
Fidicularius, a, um, p. 218. *derivatum a* fidiculæ, arum.
Fonema, p. 259.
Intenditus, *pro* intensus, p. 181.
Invio, *adverbium, ut videtur*, p. 232.
Laboratio, p. 359. *Hoc vocabulum dicitur exstare apud D. Hieronymum.*
Magira, æ, p. 175.
Opisthodomus, p. 281.
Perviaticum, p. 300.
Philostorgus, p. 132.
Portunium *vel* portunius, p. 23.
Primor, p. 246.
Prodormio, p. 48.
Prunulea, p. 244.
Rapinatio, p. 77.
Revimentum, p. 363.
Sirbenus, p. 195.
Solifundium, *dubium vocabulum*, p. 359.
Solitatim, p. 238.
Subsentator, p. 80. *ex Plauto.*
Voluptativus, a, um, *scriptum* voluptatiba *b pro v*, p. 314.
Ἡρμοστηλῶ, *convenio*, p. 265. *non satis certum vocabulum.*
Σιδηρὸς, ὰ, ὸν *ferreus*, p. 434.
Τέχνωσις *structura*, p. 406. *nisi forte ibi legendum est* τέχνωσις.
Ὑποδίδωμι *cedo, vel trado*, p. 426. *Vide dicta ibidem in nota.*

Scripturæ Frontonianæ antiquitas, calligraphia atque distinctio.

x. In declaranda Frontoniani Codicis palæographia nihil est cur diutius morer, quum copiosum et fidelissimum specimen ære excuderim, cuius litteras qui considerabit, eas magnitudine ferme pares, forma autem elegantiores deprehendet litteris Tulliani antiquissimi Interpretis, quem ego ipse superiore anno typis vulgandum curavi (1). Quare quæ in Dissertatione illi Operi prævia de orthographia, calligraphia, atque ætate eius scripturæ disputavi (2), ea potiore iure de Frontonianis his membranis dicta putentur. Igitur Frontonis scriptio haud serius quarto post Ch. N. sæculo elaborata mihi videtur. Ab illa tamen, quam superius commemoravi, in eo Frontoniana latina differt, quod etsi hæc vocabulis continuis æque scribitur, tamen membra orationis distinguuntur, non quidem spatio, sed puncto quodam crasso recurvo, superiori vocabuli parti adscripto, ut in specimine videre est. Consonat autem Diomedis dictum qui ait (3): *Distinctionis nota est punctum supra versum ad caput literæ positum.* Ceterum Diomedea *subdistinctio* et *mora* nulla

(1) Mediolani typis Ioannis Pirotæ 1814.
(2) Cap. 14.
(3) In Putschio p. 432.

in Codice apparet. Et distinctionem quidem seu interpunctionem raro Veteres scripturis adhibuerunt. Antiquissimi enim Codices hisce notis plerique carent. Neque tamen distinguendi nullus usus fuit, ut Inscriptiones, quarum quæque vox puncto secernitur, satis ostendunt. Tum ipse Cicero rem non obscure innuit (1): *Clausulas atque interpuncta verborum animæ interclusio atque angustiæ spiritus attulerunt.* Nicanor Alexandrinus grammaticus sub Hadriano de interpunctione scripsit, teste Suida (2). Denique Fronto libros Ciceronis se manu sua distinxisse testis est (3). Verum in Frontonis græca scriptura nullam plane distinctionem deprehendi, ita ut mihi veniret in mentem illud Senecæ (4): *In Græcis hanc licentiam tuleris*; *nos* (Latini) *etiam cum scribimus interpungere consuevimus.*

Emendator idemque Scholiastes Codicis Frontoniani.

XI. Etsi autem distinctio in nostro Codice ipsi scripturæ est prorsus coætanea, quod et genus atramenti et ipsa notarum positio satis

(1) *De Oratore* Lib. 3. Cap. 46. Vide, si lubet, alios eiusmodi Tullii locos apud Lipsium (Epist. 39. ad Audeiantium Cent. 3. Miscell.) qui de Veterum interpunctione perdocte disserit.

(2) Voc. **Νικάνωρ.**

(3) Ad A. Lib. 2. Epist. 2.

(4) Epist. 40.

indicant; Codici tamen multis post annis Emendator non defuit, qui quidem et nomen suum in principio Codicis adscripserat, ut constat ex pluribus locis, ubi is scribit *Legi emendavi qui supra* (1): verum amissis prioribus foliis, hominis perdocti notitia sempiterno exitio sublata est. Quin ad Epistulam decimam Libri ad Pium (2) plane dicit Emendator, se non uno Frontonis exemplari usum. Idem sententias Frontoniani textus insigniores sæpe in margine scripsit: scholia insuper identidem aspersit, quæ nos, licet exigua, diligenter edenda curavimus. Huius autem Emendatoris ætas ab eiusdem autographa scriptura fere indicatur. Atque eam ego scripturam ad sequiora plane sæcula detrusissem: est enim satis barbara, ut specimen cusum docet. Verum quum ea subsit scripturæ Concilii Chalcedonensis, quæ non infra sæculum VII. aut VIII. post Ch. N. pertrahenda est (3), omnino ille Emendatoris labor intra sæculum VI. continendus videtur.

---

(1) Vide ad Epist. 25. Lib. 1. ad Amicos p. 160. ibique meam notam.

(2) Pag. 23.

(3) Vide Dissertationem meam Interpreti Tulliano præviam Cap. 14. p. 30.

Huius Editionis ratio.

XII. Reliquum est, ut quid in moliendа principe hac Frontonis Editione sit præstitum, paucis Lectores admoneam. Ego sane Palimpsestum tam crebro tamque diu manu versavi, quamdiu spes aliqua non contemnendi fructus affulsit. In qua quidem prolixa et gravissima occupatione neque tempori neque oculis parcendum censui, nedum aliquid meæ inertiæ largiendum. Plane enim apud me statueram, nihil esse tam abditum quod non reserari, nihil tam munitum quod non expugnari diligentia et labore posset. Ceterum nec membranarum hiantia vulnera, nec plurimorum foliorum æternam iacturam, neque scripturæ partem eam quæ in litura omnino demersa est, neque denique quidquid ablutione aut rasura corruptum fuit, revocare in integrum potui. Nam manus eius, qui secundam scripturam duxit, tamquam quædam calamitas Frontonianas opes pervasit: sic denique Codex affectus fuit, ut eæ terræ solent, in quibus grando maxima et diuturna bacchatur. Itaque, etsi incredibili patientia usus sum, in magna tamen Palimpsesti parte omnes mihi sensi aditus intelligentiæ præclusos. Deinde ingens, quam collegi, Frontonis materia ad rectum ordinem redigenda fuit. Tum

in græcis Epistulis interpretis quoque vice functus sum: nullam denique Operis partem prætermisi, quam non ea luce, cuius indiga videbatur, impertirem. Quare et perpetuus commentarius Frontonianis scriptis accessit. Iamvero is, cuius beneficio auspicioque hæc præclara Opera lucem aspiciunt, Vir ad optima quæque natus atque omni virtutum genere affluentissimus, nihil in Libro desiderari passus est, quod ad utilitatem aut oblectationem Lectorum pertinere videretur. Itaque præter plures historicos nummos, imagines etiam trium Cæsarum e veteribus monumentis præclaro artificio exprimendas curavit: nequid dicam de accuratissimo, cuius superius memini, Palimpsesti specimine, in quo scilicet litteræ de membranis in æs translatæ perfectam exhibent descriptionem atque imaginem Codicis: universa denique Editio largo sumptu, indefessa sollertia, splendido opere adornata est.

Commentarii prævii clausula.

XIII. Sed enim ut prævium hunc Commentarium tandem aliquando perorem; meus quidem, inquam, labor veniâ Lectorum sublevandus est. Verum enimvero Fronto cum propter eloquentiam omni honorificentia et lætitia ab Eruditis excipiendus videtur;

tum vel eo maxime nomine, quod M. Aurelium suis præceptis imbutum orbi dedit, dignus profecto est qui æterna in laude versetur. Quemcumque demum vitio carens philosophia delectat, is in primis gaudebit, scripta Frontonis et M. etiam Aurelii sibi ad exemplum philosophandi recte proponi. En quippe philosophi Cæsaris Oratorem magistrum, en philosophum Cæsarem, quo rerum potiente, ipsa philosophia, seu potius virtus, orbis terræ imperium obtinuit.

TESTIMONIA VETERUM DE FRONTONE

M. Aurelius De rebus suis Lib. I. ff. 11.

ΠΑΡΑ Φρόντωνος, τὸ ἐπιστῆσαι, οἷα ἡ τυραννικὴ βασκανία καὶ ὑπόκρισις· καὶ ὅτι ὡς ἐπίπαν οἱ καλούμενοι οὗτοι παρ' ἡμῖν εὐπατρίδαι, ἀστοργότεροί πως εἰσί: *A Frontone didici, quæ invidentia, et simulatio tyrannidem consequatur: quodque, ut plurimum qui patricii nobis nuncupantur a vero affectu alieni sunt.*

Dio Cassius Lib. 69. Cap. 18.

Κορνήλιος Φρόντων, ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος, ἑσπέρας ποτὲ βαθείας ἀπὸ δείπνου οἴκαδε ἐπανιὼν, καὶ μαθὼν παρά τινος, ᾧ συνηγορήσειν ὑπέσχετο, δικάζειν αὐτὸν, ἔν τε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, ὥσπερ εἶχεν, ἐς τὸ δικαστήριον αὐτοῦ ἐσῆλθε, καὶ ἠσπάσατο, οὔτι γε τῷ ἑωθινῷ προσρήματι, τῷ Χαῖρε, ἀλλὰ τῷ ἑσπερινῷ, τῷ Ὑγίαινε, χρησάμενος: *Cornelius Fronto, qui causis agendis inter eius ætatis Romanos primas ferebat, quum aliquando vespere profundo a cœna domum rediret, ac intellexisset a quodam, cui patrocinium promiserat, illum* (Hadrianum imp.) *ius dicere; habitu cœnatorio, quo tunc utebatur, ad tribunal eius accessit, eumque salutavit, non matutina voce* Salve, *sed vespertina* Vale, *usus.*

Idem Lib. 71. Cap. 35.

Πάμπολλα ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη, ἔν τε τοῖς ῥητορικοῖς, ἔν τε τοῖς ἐκ φιλοσοφίας λόγοις ἀσκηθείς· τῶν μὲν γὰρ τόν τε Φρόντωνα τὸν Κορνήλιον καὶ τὸν Ἡρώδην

τὸν Κλαύδιον διδασκάλους εἶχε· τῶν δὲ κ. τ. λ. *Magnum adiumentum Marco attulit doctrina: nam rhetoricis et philosophicis præceptis exercitus fuit, habuitque illorum Cornelium Frontonem et Claudium Herodem magistros: horum autem etc.*

Artemidorus De Somniis Lib. IV. Cap. 24.

Ὡς καὶ Φρόντων ὁ ἀρθριτικὸς θεραπείαν αἰτήσας, ἔδοξεν ἐν τοῖς προαστείοισι περιπατεῖν, καὶ πυρπολήσει χρησάμενος, παρηγορήθη ἱκανῶς· ὡς ἴσον εἶναι τὸ χρῆμα θεραπείᾳ: *Quemadmodum Fronto arthriticus curatione a Diis petita, visus est sibi in suburbiis deambulare, et ignis admotione usus, multum recreatus est: tamquam compar res esset medicamento et curationi.*

Ælianus De instruendis copiis Cap. 1.

Περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον τακτικῆς ἐντύχομεν συγγραφεῦσι Στρατοκλεῖ τε Ἑρμείᾳ καὶ Φρόντωνι τῷ καθ' ἡμᾶς ὑπατικῷ ἀνδρὶ (1): *De instruendis copiis iuxta Homeri præscriptum scriptores habemus Stratoclem, Hermiam, et Frontonem, qui nostra ætate vivit, virum consularem.*

Capitolinus in Marco Antonino Edit. Paris. 1603. p. 33. A.

Oratoribus usus est (Marcus) græcis Annio Marco, Caninio Celere, et Herode Attico: latino Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui et statuam in senatu petiit.

Idem in L. Vero p. 52. A.

Audivit (Verus) rhetores græcos Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum: latinum

(1) De hoc Æliani loco recole dicta in Comm. prævio Part. I. Cap. 24. in fine et Cap. 25. Neque enim eum prorsus indubitanter iudico ad Frontonem nostrum pertinere. Iam et Gellius Lib. II. 26. fortasse προληπτικῶς *consularem* dixit Frontonem.

Cornelium Frontonem. Hos omnes amavit unice, atque ab his invicem dilectus est.

Minutius Felix in Octavio Cap. 9.

Et de convivio notum est, passim omnes loquuntur. Id etiam Cirtensis nostri testatur oratio.

Idem Cap. 31.

Sic de isto (convivio) et tuus Fronto non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit.

Eumenius in Panegyrico Constantii Cap. 14.

Itaque Fronto romanæ eloquentiæ non secundum sed alterum decus, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino principi daret, quamvis ille in ipso Urbis Palatio residens gerendi eius mandasset auspicium, veluti longæ navis gubernaculis præsidentem totius velificationis et cursus gloriam meruisse testatus est.

Ausonius in Gratiarum Actione.
Edit. Amstel. 1671. p. 714-715.

Unica mihi amplectenda est Frontonis imitatio: quem tamen Augusti magistrum sic consulatus ornavit, ut præfectura non cingeret. Sed consulatus ille cuiusmodi? ordinario suffectus, bimestri spatio interpositus, in sexta anni parte consumptus: quærendum ut reliquerit tantus orator, quibus consulibus gesserit consulatum. Ecce aliud quod aliquis opponat: In tanti te ergo oratoris fastigium gloriosus attollis? cui talia requirenti respondebo breviter: Non ego me contendo Frontoni, sed Antonino præfero Gratianum.

Macrobius Saturnalium Lib. 5. Cap. 1.

Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni adscribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo Veterum minor noster Symmachus luxuriatur.

Sidonius Apollinaris Epist. 1. Lib. 1.

De M. Tullio silere me in stylo epistolari melius puto; quem nec Iulius Titianus totum sub nominibus illustrium fœminarum digna similitudine expressit. Propter quod illum cæteri quique Frontonianorum, utpote consectaneum æmulati, cur veternosum dicendi genus imitaretur, oratorum simiam nuncupaverunt.

Idem Epist. 3. Lib. 4.

Nec Frontonianæ gravitatis aut ponderis Apuleiani flumen æquiparem.

Idem Epist. 10. Lib. 8.

M. Fronto cum reliquis Orationibus emineret, *in Pelopem* se sibi prætulit.

Eutropius Libro 8.

Latinas Marcum litteras Fronto orator nobilissimus docuit.

Martianus Capella de Nuptiis Philologiæ Lib. 5. Edit. Grotianæ p. 138.

Post hos in diversis agminibus oratores emeriti, ac præ se ferentes insignium culmen meritaque linguarum, Æschinem, Isocratem, Lysiamque conspiceres. Tum in togatis agminibus Sosantios, Gracchos, Regulum, Plinium, Frontonemque.

D. Hieronymus in Epist. ad Rusticum Monachum Cap. 12.

Ad quam (*mentem*) edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum discerem et stridentia anhelantiaque verba meditarer.

Idem Libro de Viris illustribus in Melitone.

Melito Asianus, Sardensis Episcopus, librum Imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis oratoris discipulus fuit, pro christiano dogmate dedit.

Eusebius in Chronico ad annum Chr. 165.

Φρόντων ὁ ῥήτωρ (ἐγνωρίζετο). *Ad quem locum Hieronymus:* Fronto Orator insignis habetur, qui M. Antoninum Verum latinis litteris erudivit. *Consonat Anastasius Biblioth. in Historia Eccl.*

Cassiodorus in Chronico ad annum Chr. 164.

Macrino et Celso Coss. (Christi 164.) Fronto Orator insignis habetur qui M. Antoninum latinis litteris erudivit. *Consonat Syncellus in Chronographia.*

Ioannes Sarisburiensis in Polycratico Lib. 8. Cap. 10.

Verum quia lætitiæ in conviviis frequenter insidiatur ira, ab huiusmodi dictis temperandum est, et quæstiones convivales in omnes proponendæ sunt aut solvendæ. Quod genus Veteres ita ludicrum non putarunt, ut et Aristoteles de ipsis aliqua scripserit, et Plutarchus, et Apuleius cum Frontone (1).

(1) Quod attinet ad hunc locum, quem pleniorem ex Macrobio exscripsit Sarisburiensis, recole Comment. prævium Part. I. Cap. 24. p. 63.

Idem Cap. 13.

Tantus utique (Seneca), ut eum Fronto, secundum quosdam nepos Plutarchi, cuius meminit in primo Iuvenalis sic,

" Frontonis platani, convulsaque marmora clamant (1) ":

semper eum, inquam, sic asserat universos exterminare errores, ut aurea videatur sæcula reformare, et Deos ab humano genere exulantes, eius opera revocatos, hominibus contracta societate miscere.

Idem Cap. 19.

Latinas litteras Marcum Fronto nobilissimus orator docuit, et pro quorumdam opinione Plutarchi nepos.

His de Frontone testimoniis addantur ii Auctorum loci, quos hac Editione complexi sumus (2), *nimirum Gellii, Charisii, P. Consentii, Servii, Isidori, tum etiam, si placet, eius qui Geoponica collegit* (3): *tum denique nobilissima Inscriptio Pisaurensis* (4). *Quibus accensendum non puto Plinium in Epistulis* (5) *loquentem de Frontone oratore, qui alius nimirum et antiquior quam noster Cirtensis prorsus existimandus est. Prætereo denique alia Veterum de Frontonibus testimonia, quæ ad nostrum referenda non videntur.*

(1) Male hunc locum Iuvenalis ad Frontonem nostrum trahi dixi in Commentario prævio Part. I. Cap. 4.

(2) Pag. 452 - 465.

(3) In Commentario prævio Part. 1. Cap. 24. p. 63 - 64.

(4) Ea exstat in mea Editione p. 200.

(5) Locos Plinii ego laudavi in mea hac Editione p. 149-151.

·M· FRONTONIS

EPISTULARUM AD ANTONINUM PIUM

INDEX (1)

---

(1) In Codice inveni hunc Indicem ex initiis Epistularum confectum, qui quidem plenus esset, nisi in eo prætermitterentur IV. et XI. Epistulæ, quas tamen exhibet deinceps Codex in hoc Libro ad Antoninum Pium. Postremæ autem tres sunt quidem in hoc Libro, sed eædem exstant etiam in Libro II. ad Amicos eiusque Indice. Quare quum revera illuc pertineant, nos quoque ad illum librum eas amandamus. In loco duodecimæ et decimæ tertiæ duas alias nos ponemus Epistulas, quæ, licet in Indice omittantur, tamen ad hunc librum nobis pertinere videbantur.

IX. Ho(c nego magisve nego) (1).
X. Accepi Cæsar.
* XI. . . . .
XII. Castricius noster.
XIII. Legam, Fili, libenter.
XIV. Fecisti, Frater Contucci.

---

(1) Dubiæ lectionis vocabula parenthesi includimus.

M· FRONTONIS

EPISTULARUM AD ANTONINUM PIUM

LIBER UNICUS.

I. Imperatori Antonino Pio Augusto Fronto

Ut meministi, Cæsar, cum tibi in senatu gratias agerem, desiderio quodam .... quæ distuler .... nam litteras quæ die recitabantur .... tes librum ... dominus .... Bene vale (1).

(1) Epistula in obliterata pagina magnam partem legi nequit. Apparet tamen Frontonem scribere hic de sua Oratione panegyrica, qua Antonino Pio gratias egerat: de qua Oratione respondet ei Pius in sequenti Epistula, deque eadem loquitur Fronto in Epist. I. et VI. Lib. I. ad Marcum, et in Epist. II. græca: et denique Eumenius in Panegyr. Constantii.

II. ·M· FRONTONI ANTONINUS CÆSAR

QUANTA . . . . me tuo . . . . hercule . . . . optimo . . . . in tam trita et assidua tibi materia invenire et posse. Sed videlicet valde potens est, quod summe efficere possis, etiam velle. Nihil istis sensibus validius: nihil elocutione, salva sanitate, civilius. Neque enim hoc committam (1), ut te iustissima laude fraudem, dum metuo ne insolenter laudes meas laudem. Bene igitur accepisti et rectissimo opere, cui plane, seposita materia, omnis honor debetur. Ceterum ad ostentandum (2) mihi animum tuum non multum egit (3). Nam esse te benignissimum omnium factorum et dictorum meorum conciliatorem bene noveram. Vale mi Fronto carissime mihi.

---

(1) Codex *omittam*.
(2) Cod. *ostantandum*.
(3) Nempe ea Oratio.

Illa pars Orationis tuæ circa Faustinæ meæ (1) honorem gratissime a te adsumta, verior mihi quam disertior visa est. Nam ita se res habet. Mallem mehercule Gyaris (2) cum illa, quam sine illa in Palatio vivere.

III. ANTONINO PIO FRONTO

Si evenire posset, Imperator, ut amici ac familiares nostri nostris moribus cuncta agerent, maxime vellem tum si

(1) Annia Faustina maior Antonini Pii uxor fuit. Porro Iulius Capitolinus in *Antonino Pio* (Historiæ augustæ edit. Paris anni MDCIII. qua nos semper utimur pag. 26. A.) scribit: » De huius uxore » multa dicta sunt ob nimiam libertatem et vivendi » facilitatem, quæ iste cum animi dolore com- » pressit ».

(2) Gyaræ vel Gyarus una ex Sporadibus, in quam relegabantur romani. Tacitus Annal. III. 68. » Aqua atque igni Silano interdicendum, ipsumque » in insulam Gyarum relegandum ». Iuvenalis Satyr. I. 73.

» Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere di- » gnum ».

non moribus, at saltem ut consiliis ubique nostris uterentur. Sed quoniam suum cuiusque ingenium vitam gubernat, fateor ægre ferre me, quod Amicus meus Niger Censorius (1) testamento suo quo me heredem instituit, parum verbis temperarit. Id ego factum eius improbus sim si defendendo purgare postulem; immemor amicitiæ, nisi saltem deprecando sublevem. Fuit sine dubio Niger Censorius verborum suorum inpos et minus consideratus, sed idem multarum rerum frugi vir et fortis et innocens. Tuæ clementiæ est, Imperator, unicam hominis verborum culpam cum ceteris eius recte factis ponderare. Ego quidem ad amicitiam eius accessi *qui multorum amor*em (2) . . . . strenua opera domi bellique

(1) Forte ita appellatus ob gestam censuram. Consul Niger occurrit annis urbis DCCCLXX. et DCCCXCI. in quæ tempora incidit ætas huius Nigri Censorii, qui sub Pio obiit.

(2) Moneo, verba excusa macriore charactere mea esse supplementa.

meruerat. Ut ceteros eius amicos omittam, Turboni Marcio (1), et Erucio Claro (2) erat familiarissimus: qui duo egregii viri alter equestris, alter senatorii ordinis primarii fuerunt. Postea vero ex tuis etiam iudiciis ei plurimum et honoris et auctoritatis accesserat. Talis ego viri amicitiam appetivi. Haud sciam an qui (3) dicat debuisse me amicitiam cum eo desinere, postquam cognoveram gratiam eius apud animum tuum imminutam. Numquam ita animatus fui, Imperator, ut cœptas in rebus prosperis amicitias, siquid adversi increpuisset, desererem. Et omnino. Cur enim non sententiam

---

(1) Turbonem Marcium, Iudæis compressis, ad deprimendum tumultum Mauritaniæ Hadrianus Imp. destinavit: eumdemque post Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. V. Spartianum in *Hadriano* p. 4. C. et p. 5. B.

(2) Erucio Claro bis consule natus est Severus Imp. qui et illum occidit. V. Spartianum in *Severo* p. 94. B. et 101. C.

(3) *Qui* pro *quis* aut *aliquis*.

animi mei expromam? Ego eum * qui te non amabit, hostis numero habebo: quem vero tu minus amabis, miserum potius quam hostem iudicabo. De .... Permultum refert inprobes aliquid an oderis .... *Amicorum officiis* et consiliis indigebat. Atque utinam Niger, sicut in plerisque mihi post paruit, ita consilium *meum in* testamento (conficiendo) *ro*gasset! Haud umquam tantam maculam memoriæ suæ inussisset verbis inmoderatis ipsum potius quam alios lædentibus. Nec ... intervallum intercessisset, quo .... virum illo ipso tempore quo offendit: sed amando ita offendit, ut pleraque animalia, quibus abest ars et sedulitas educandi, ova atque catulos suos unguibus aut dentibus male contrectant: nec odio, sed imperitia nutricandi opterunt. Ego certe Deos

* *In margine*: Panegyricus (1).

(1) Nempe Nigri, verum totus hic locus oblitteratus est.

superos inferosque, et fidem arcanam humanæ amicitiæ testor, me semper auctorem fuisse, cuius . . . hominem . . . eum incidisse magis doleas, sed fideliter quem . . . in eodem velle, in quo . . . tibi autem . . . . res autem istas, quas nec tacere voluimus, nec negare credimus. Et si Di æqui sunt, veras et congruentes simplicitati nostræ amicitiæ semper adsequamur.

IV. DOMINO MEO CÆSARI (1)

NIGER Censorius diem suum obiit. Quincuncem bonorum suorum (2) nobis reliquit testamento cetera honesto, quod

(1) Nimirum M. Aurelio, qui, vivente Pio, Cæsar erat. Capitolinus in *Marco* p. 35. C: » Quæstorem » et consulem secum Pius Marcum designavit, et » Cæsaris appellatione donavit ».

(2) *Heres ex quincunce* dicitur qui obtinet quinque partes hereditatis divisæ in duodecim. Hæc autem locutio pendet ab illa *heres ex usse*; hinc *heres ex semisse*, *ex triente* etc. Heredem ex quincunce dicit se etiam Plinius Lib. VII. Epist. XI.

ad verba vero adtinet inconsiderato: in quo iræ magis, quam decori suo consuluit. Inclementius enim progressus est in Cavium Maximum (1) clarissimum et nobis observandissimum virum. Ob eam rem necessarium visum scribere me Domino nostro Patri tuo (2), et ipsi Cavio Maximo difficillimæ quidem rationis Epistulas: in quibus et factum Nigri mei, quod inprobabam, non repræhendere (3) nequibam, et tamen amici atque heredis officium, ut par erat, retinere cupiebam. Hæc ego te, ut mea cetera omnia, scire volui, conatus mehercules ad te quoque de eadem re prolixiores litteras scribere: sed recordanti cuncta mihi melius visum est non obtundere te, neque a potioribus avocare.

---

(1) Cavius Maximus vir severissimus præfectus prætorii fuit XX. annos sub Antonino Pio. V. Capitol. p. 29. A. in Pii Vita.

(2) Antonino Pio.

(3) Verbum *repræhendo* semper fere vidi cum diphthongo in antiquis mss.

V. ANTONINO PIO AUGUSTO FRONTO

CARIUS (1) vitæ meæ parte adipisci (2) cupio, ut te complecterer felicissimo et optatissimo initi imperii die, quem ego diem natalem salutis, dignitatis, securitatis meæ existimo. Sed dolor umeri (3) gravis, cervicis vero multo gravissimus ita me adflixit, ut adhuc usque vix inclinare me vel erigere, vel convertere possim: ita immobili cervice

---

(1) Supplevi *carius* ex Indice.

(2) Cod. *adpicisci*, sed putavi emendandum *adipisci*, præsertim cum ita scribat Fronto inferius in Epist. XI. hujus Libri.

(3) Sic Cod. *umeri* sine adspiratione, etiam infra in Epistula III. Alsiensi. De H Quintilianus Inst. I. 5. » Apud nos potest quæri, an in scripto sit vitium, » si H littera est, non nota: cujus quidem ratio » mutata cum temporibus est sæpius. Parcissime » eâ Veteres usi etiam in vocalibus, cum *œdos* » *ircosque* dicebant ». Revera ego in antiquis codicibus sæpe vidi *em*, *eu*, *erus*, *erilis*, *ircus*, *ospitium*, *ortus* pro *hortus* etc.

utor (1). Sed apud Lares Penates Deosque familiares meos et reddidi et suscepi vota, et precatus (2) sum, uti anno insequenti bis te complecterer ista die, bis pectus tuum et manus exoscularer, præteriti simul et præsentis anni vicem persequens.

VI. AB AUGUSTO R. (3)

CUM bene perspectas habeam sincerissimas in me adfectiones (4) tuas, tum et ex animo meo non difficile iam *mihi per*suasi, mi Fronto karissime, vel præcipue hunc diem, quo me suscipere

(1) Sæpe Fronto suam corporis infirmitatem commemorat, ut infra patebit. Eum quidem Gellius II. 26. et XIX. 10. pedibus laborantem; Artemidorus IV. 24. arthriticum dicunt.

(2) Cod. *præcatus*, quod vidi quidem etiam in aliis antiquis Codd., sed mendum semper iudicavi.

(3) Nempe *Rescriptum*, quo vocabulo et utitur ipse Fronto Lib. II. Epist. II. ad Amicos, et in iure responsa Principum significantur.

(4) Cod. *adtectiones*.

hanc stationem (1) placuit, a te potissimum vere religioseque celebrari. Et ego quidem et vota tua, et te mente, ut par erat, repræsentavi . . . .

VII. » Cavio Maximo Fronto » (2)

Cum gravitatem (3) . . . . . Dolor iracundiæ coniunctus mentem hominis perturbavit . . . . . . Virtutibus ceteris

---

(1) Nempe *imperium*.

(2) Censeo hanc Epistulam Frontonis ad Cavium Maximum de testamento Nigri Censorii, quam Fronto revera in Epistula IV. huius Libri ait se scripsisse. Supplevi ergo titulum ex coniectura. Et quidem hoc Fragmentum non potest esse pars Epistulæ III. huius Libri: nam ea Epistula in Indice occupat tertium locum; hoc autem Fragmentum desinit in eadem pagina Codicis, in qua incipit Epistula VIII. Ergo occupare debet septimum locum; adeoque est clausula Epistulæ VII. quæ in Indice incipit *Cum gravitatem*. Iam vero Cavius Maximus dicitur a Capitolino in *Pio* p. 29. A. vir severissimus; Igitur puto Frontonem exorsum esse has ad eum Litteras » : Cum gravitatem *tuam considero*.

(3) Hæc verba, ut iam dixi, supplevi ex Indice.

iracundia venenum ac pernicies fuit . . . . *Sed nemo meum erga Nigrum amorem vituperet,* qui non tuum ante repræhenderit. Postremo neque ego Nigrum propter te amare cæperam, ut propter te eundem amare desinerem. Neque tu me a Nigro tibi traditum amare cæpisti. Quamobrem tecum, quæso, nequid obsit amicitia nobis, quæ nihil profuit. Iam si dicendum est, Deos testor me sæpe vidisse Nigrum Censorium ubertim flentem desiderio tui, atque huius discidii dolore. Sed erit fortasse tempus aliud, quo ego memoriæ eius placem te ac mitigem. Interim nequid loci malignis hominibus adversus me apud aures tuas pateat, qui *meam tibi dubiam* perperam *faciunt* fidem : quam quom firmam et sinceram cum Censorio servaverim, multo magis profecto tecum perpetuam atque incorruptam retinere conitar.

VIII. ANTONINO PIO AUGUSTO FRONTO

OMNEM operam me dedisse, sanctissime Imperator, et inpenso studio cupisse fungi proconsulari munere (1), res ipsa testis est. Nam et de iure sortiendi

(1) Cave putes ob hanc Epistulam, Frontonem sub Antonino Pio proconsulari munere functum esse. Nam provinciam ullam se administrasse negat omnino ipse Fronto in Epist. VIII. Lib. I. ad Marcum: *Quid iste Fronto tantum boni fecit? Provinciam aliquam fideliter administravit? exercitum duxit? Nihil horum.* Sed neque sub Marco Proconsul fuit Fronto, ut per exclusionem colligitur ex Capitolino in *Marco* p. 33 A. " Usus est *Marcus* " (præter alios plures) Grammatico latino, Euty- " chio Proculo Siccensi: Oratore, Cornelio Fron- " tone. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui " et statuam in senatu petiit: Proculum vero usque " ad Proconsulatum provexit ". Ergo nequaquam Frontonem. Patet igitur potius ex hac Epistula, Frontonem designatum quidem fuisse ad regendam proconsulari imperio aliquam provinciam Græciæ vel Asiæ; verum id munus exequi per valetudinem non potuisse, ut in extrema parte mutilæ Epistulæ indicatur.

quoad incertum fuit disceptavi, et postquam iure liberorum (1) prior alius apparuit, eam quæ mihi remansit splendidissimam provinciam pro electa habui. Post, illa quæ(cumque) ad instruendam provinciam adtinerent, quo facilius a me tanta negotia per amicorum copias obirentur, sedulo præparavi. Propinquos et amicos meos, quorum fidem et integritatem cognoveram, domo (2) accivi. Alexandriam ad familiares meos scripsi ut Athenas festinarent, ibique me opperirentur,

---

(1) Ius liberorum apud Romanos constitutum est legibus præsertim Iulia et Papia Poppæa. In re notissima sufficiat hîc exscribere Pitisci verba. „ Ius liberorum a Græcis derivatum, ad Romanos „ ita transiit, ut præturas, quæsturas, omnesque „ magistratus, et honores ad numerum liberorum „ parentibus distribuerint . . . et in fascibus su- „ mendis priores erant, qui liberos plures ha- „ berent „. Fronto autem demortuos sibi liberos infantes testatur in Epist. II. de Nepote amisso.

(2) Nempe ex urbe Cirta, quæ Frontonis patria fuit, ut constat ex Epist. ipsius VI. Lib. II. ad Amicos, et ex Minucio Felice Edit. Lugd. Batav. 1709. p. 99. comparata cum p. 322.

iisque græcarum epistularum curam doctissimis viris detuli. Ex Cilicia etiam splendidos viros, quod magna mihi in ea provincia amicorum copia est, cum publice privatimque semper negotia Cilicum apud te defenderim, ut venirent hortatus sum. Ex Mauretania quoque virum amantissimum mihique mutuo carum Iulium Senem ad me vocavi, cuius non modo fide et diligentia, sed etiam militari industria circa quærendos et continendos latrones adiuvarer. Hæc omnia feci spe fretus, posse me victu tenui et aqua potanda malam valetudinem, qua impedior, si non omnino sedare, (cer)te ad (maius) intervallum et (tempus) *eius* impetus mitigare. Ita evenit ut solito diu plus valerem, et fortis vigerem: adeo ut etiam duas amicorum causas non minimi laboris apud te tutatus sim. Ingruit deinde tanta vis

valetudinis (1), quæ mihi ostenderet omnem spem illam . . . . . .

IX. » M· Aurelius Cæsar Magistro suo » (2)

(Hoc nego) . . . magisve nego inpudens, qui umquam quicquam meorum scriptorum tanto ingenio tanto iudicio legendum committo .... (divi)num locum ex Oratione tua, quem me voluerat e-

---

(1) Nempe *adversæ*, quæ Frontonem, quominus proconsulare munus obiret, impedivit.

(2) Ut hîc collocem hanc Epistulam adducor tum initio, quod mihi videor legere sic: *Hoc nego* etc. ut in Indice n.° IX., tum quia in hoc Fragmento agitur et de Oratione recitata (de qua in seq. Epist. X.) et de hereditate quadam, quæ fortasse est Nigri Censorii (nisi mavis cogitare de hereditate Matidiæ, de qua inferius vide Fragmentum Orationis Frontonianæ). Quare etiamsi hæc Epistula collocetur in Codice inter Epistulas Libri I. ad Marcum, ea tamen huc pertinere videtur.

legere (1) . . . . ὑπέμεινα μὴν (2). Commode plane illa suum auctorem sibi dari flagitabant. Denique mihi vix succlamatum est . . . . τοῦ ποιητοῦ. Sed quod tu merito omnibus præoptas, non diu differas. Ita adfectus est auditione eorum Dominus meus (3) ut pæne moleste ferret, quod alio modo ad negotium . . . . quasi . . . . Orationem habiturus intra veram sensuum facultatem, elocutionis variam virtutem, inventionis aliquam novitatem, orationis doctam dispositionem . . . . . . ratus est. Post quæris quid meus animus . . . In his rebus et causis quid ni rivalis iudicibus . . . causarum. De funere au*tem hæc man*damus. Sciat familia quemadmodum lugeat. Aliter plangit servus

---

(1) Cod. *ligere*.

(2) Græca in Codice verba carent omni prorsus orthographiæ nota. Censui tamen adscribendos in Editione mea spiritus et accentus, nec non apocopes signum. Nam et latino textui interpunctionem addidi, quamvis hæc quoque a Codice absit.

(3) Antoninus Pius, coram quo Marcus recitaverat Orationis Frontonianæ Excerpta, ut patet ex Epist. seq.

manumissus, aliter cliens laudat vocatus (1) aliter amicus legat (2) honoratus. Quid inferias (3) et suspensas exequias agis? omnium animarum statim post mortem hereditas cernatur . . . Veste . . . pinnæ . . . olo . . . hominum facere duas . . . post . . . de . . . fertur . . . prædonis . . . post plangitur. Puto totum descripsi . . . Quid ergo facerent, quom totum ac mire . . . totum amarem . . . hominem bonum. Vale disertissime, doctissime, mihi carissime, dulcissime, Magister optatissime, Amice desiderandissime.

Horatius cum Polione (4) mihi emortuus est. Id Herodes (5) non æquo fert

---

(1) Cod. *laudaucatus.*

(2) Ita Cod. *legat*, sed forte emendandum *luget.*

(3) Cod. *incerias.*

(4) De duobus his viris *Horatio* et *Polione* vide et Epist. IX. Lib. II. ad Marcum. Et Pollione quidem usum esse Grammatico latino M. Aurelium scribit Capitolinus in hujus Vita p. 33. A.

(5) Herodes Atticus Marcum instituit græca eloquentia. V. Capitolinum loco nuper laudato.

animo. Volo ut illi aliquid quod ad hanc rem attineat paucorum verborum scribas. Semper vale.

X DOMINO MEO (1)

ACCEPI, Cæsar, litteras tuas, quibus quantopere lætatus sim, facile æstimabis, si reputaveris singula. Primum caput est omnis mei gaudii cum te bene valere cognovi: tum quod ita amantem mei sensi, finem ut amori nullum, neque modum statuas, quin cottidie aliquid reperias, quod circa me iucundius atque amicius facias. Ego denique olim iam me puto satis amari; tibi autem nondum etiam quantum me diligas satis est: ut non mare ipsum tam sit profundum,

(1) Hæc Epistula est quidem ad Marcum, sed pertinet ad hunc Librum, ut ex Indice apparet. Hoc autem in Libro ideo olim collocata est, quia agitur in ea de Orationis Frontonianæ particulis coram Pio recitatis.

quam tuus adversus me amor. Sane ut illud queri possim, cur me nondum ames tantum, quantum plurimum potest. Namque in dies plus amando efficis, ne quod ante diem amaveris, plurimum fuerit. Consulatum (1) mihi putas tanto gaudio fuisse, quanto tua tot in una re amoris indicia? Orationis meæ particulas, quas excerpseram, recitasti Patri tuo ipse, studiumque ad pronuntiandum adhibuisti. Qua in re et oculos mihi tuos utendos, et vocem ipsam et gestum, et in primis animum accommodasti. Nec video quis veterum Scriptorum quisquam (2) me beatior fuerit, quorum scripta Æsopus ad populum pronuntiavit et Roscius (3). Meæ vero Orationi ·M· Cæsar actor contigit et pronuntiator: tuaque ego opera et voce audientibus

(1) De Frontonis consulatu vide Epist. 1. Lib. I. ad Marcum.

(2) Ita Codex *quisquam*.

(3) Roscius et Æsopus histriones celeberrimi ævo Ciceronis vixerunt, eidemque familiares fuerunt.

dignitate exornata. Nam pleraque propria venustate carentia, gratiam sibimet alienam extrinsecus mutuantur. Quod evenit etiam in plebeis istis edulibus. Nullum adeo vile aut volgatum est holus aut pulpamentum, quin elegantius (1) videatur vasis aureis adpositum. Ita evenit floribus et coronis: alia dignitate sunt quom a coronariis veneunt, alia quom a sacerdotibus porriguntur *. Tantoque ego fortunatior quam fuit Hercules atque Achilles, quorum arma et tela gestata sunt a Patricole et Philocteta (2) multo viris virtute inferioribus. Mea contra oratio mediocris,

* *In Margine*: In alio sic habet : alia dignitate sunt in Portunio (3) cum a coronariis veneunt, alia cum a Sacerdote in templo porriguntur.

(1) Cod. *qui neglegentius.*
(2) Ita Cod. *Patricole et Philocteta.*
(3) Nota vocabulum *Portunio.*

ne dicam ignobilis, a doctissimo et facundissimo omnium Cæsare inlustrata est. Nec ulla umquam scæna (1) tantum habuit dignitatis, ·M· Cæsar actor, Titus (2) imperator! Quid amplius cuiquam contingere potest? nisi unum quod in cælo fieri poetæ ferunt, quo, Iove patre audiente, Musæ cantant (3). Enimvero quibus ego gaudium meum verbis exprimere possim, quod Orationem istam meam tua manu descriptam misisti mihi? Verum est profecto quod ait noster Laberius (4): AD AMOREM INICIENDUM DELENIMENTA ESSE DELIBERAMENTA (5), BENEFICIA AUTEM BENEFICIA (6). Neque poculo aut veneno

(1) Ita Cod. *scæna* pro *scena*, uti etiam p. 345.

(2) Nempe Titus Antoninus Pius.

(3) Iliad. α. in fine.

(4) Laberius mimorum scriptor floruit sub C. Iulio Cæsare.

(5) Nota vocabulum *deliberamenta*.

(6) *Beneficia* hoc secundo loco pro *veneficia*, uti etiam apud Gruterum Inscr. 5. p. DCLXXXVII. Digest. Lib. 39. Tit. 2. Leg. 40. Cod. Lib 3. Tit. 28. Leg. 27. De harum litterarum sæpe inter se commutatarum recto usu Opus scripsit Martyrius antiquus Grammaticus, cuius Prologum a Cassiodoro, qui eius Excerpta

quisquam tantum flammæ ad amatorem incussisset, præ(ut dulci ...) *me* facto hoc stupidum et attonitum ardente amore tuo reddidisti. Quot (1) litteræ istæ sunt, totidem consulatus mihi, totidem laureas, triumphos, togas pictas (2) arbitror. Contigisse quid tale ·M· Porcio aut Quinto Ennio aut ·C· Graccho (3) aut Titio poetæ (4)?

---

edidit, prætermissum nos Frontonianis de re grammatica scriptis adiiciemus.

(1) Cod. *quod.*

(2) Togæ pictæ eædem ac triumphales. V. Harduinum ad Plinium Lib. VIII. Sect. LXXIV.

(3) Cod. *Gracco.*

(4) Duo fuerunt Titii poetæ : unus antiquior, qui C. Marii fere æqualis fuit, de quo Cicero in *Bruto* XLV. » Eiusdem fere temporis fuit eques romanus » C Titius.... Argutias in tragœdias satis quidem » ille acute, sed parum tragice transtulit ».

Alterius Titii poetæ sui temporis meminit Horatius Epist. III. Lib. I.

» Quid Titius romana brevi venturus in ora,
» Pindarici fontis qui non expalluit haustus?

Ad quem Horatii locum sic vetus Interpres: » Titius Septimius lyrica carmina et tragœdias scripsit » Augusti tempore; sed libri eius nulli extant. Huius » autem insigne monumentum est infra Aritiam ». Prior ergo est *Caius*, alter *Septimius Titius Q. Titi* cum capite Bacchi et Pegaso exstant numismata apud Begerum Thesaur. Brandeburg. Tom. II. p. 589.

Quid Scipioni (1), aut Numidico (2)? Quid ·M· Tullio tale usuvenit? quorum libri pretiosiores habentur, et summam gloriam retinent, si sunt *descripti a* Lampadione, aut Staberio .... vi, aut (Tyrone), aut Ælio (3) .... aut ·Attico aut Nepote (4). Mea Oratio extabit ·M· Cæsaris manu scripta. Nam pleraque propria venustate carentia (5), gratiam sibi

(1) Scipionis Orationes exstabant Cicerone vivente. V. in *Bruto* XXI.

(2) Metellum Numidicum disertum virum dicit Gellius I. 6., immo et duos locos profert ex eius Oratione *de ducendis uxoribus*.

(3) Codicem Ennii antiquum emendatum a Lampadione memorat Gellius XVIII. 5. A Lampadione item Punicum Nævii bellum in libros divisum narrat Svetonius *de illustr. Gramm.* Cap. 2. Staberii grammatici, qui Brutum et Cassium docuit, meminit idem Svetonius in eodem opere Cap. 13. Tum Cap. 3. L. Ælii item grammatici qui orationes nobilissimo cuique scribere solebat. Recole etiam, si placet, de scriptoribus seu emendatoribus Operum Ciceronis *Tyrone*, *Lœcaniano*, *Dom.*, *Statilio Maximo* notam antiquissimam a nobis editam in libro Fragmentorum Ciceronis cum Commentario p. 140.

(4) De Nepote Gellius XV. 28. ait: » Cornelius Nepos » M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus familiaris fuit ».

(5) Fronto vel amanuensis repetit dicta p. 23.

alienam mutuant. Qui Orationem spreverit, litteras concupiscet: qui scripta contempserit, Scribtorem reverebitur. Ut si simiam aut volpem appelles.... bestiæ... pretium adderet, aut quod ·M· Cato de ...

XI. » ANTONINO PIO AUGUSTO FRONTO » (1)

.... Amicorum meorum fecit modestia nequid inprobe peterem.... Equitis romani unius contubernalis mei Sextii Calpurnii (2) dignitatem rogatu meo exornasti duabus iam procurationibus datis (3).

(1) Hanc quoque puto Frontonis Epistulam ad Antoninum Pium, quia in qua pagina hæc desinit, in eadem incipit Epistula ad Quadratum *Castricius noster* etc. Ergo hæc Epistula dicenda est undecima Libri ad Antoninum Pium, si Indicem consulas.

(2) Calpurnius seu Calphurnius quidam nominatur in Epistula Faustinæ minoris ad Marcum Imp. apud Vulcatium in *Avidio Cassio* p. 64. B. Calpurnius etiam in Epistula VIII. Lib. I. ad Verum.

(3) Principis procurator in provinciis cognoscebat inter fiscum et privatum, reditusque colligebat, aut etiam fundos principis patrimoniales curabat.

Ea ego duarum procurationum beneficia quater numero: bis cum dedisti procurationes, itemque bis cum excusationes recepisti. Supplicavi tibi iam per biennium pro Appiano (1) amico meo, cum quo mihi et vetus consuetudo et studiorum usus prope cotidianus intercedit. Quin ipsum quoque certum habeo et

---

(1) Appianus historicus Alexandrinus in calce præfationis Operis sui hæc de se narrat: Τὶς δὲ ὢν ταῦτα συνέγραψα, πολλὸι μὲν ἴσασι, καὶ αὐτὸς προέφηνα, σαφέστερον δ' εἰπεῖν, Ἀλεξανδρεὺς ἐς τὰ πρῶτα ἥκων ἐν τῇ πατρίδι, καὶ δίκαις ἐν ῥώμῃ συναγορεύσας ἐπὶ τῶν Βασιλέων, μέχρι με σφῶν ἐπιτροπεύειν ἠξίωσαν: *Quis vero hæc scribam, multi norunt, et ipse ante docui: ut autem apertius dicam, Alexandrinus sum honestissimo loco habitus in patria, versatusque Romæ in agendis causis apud Augustorum tribunalia, donec me inter suos Procuratores optaverunt.* Atqui ex his patet, de Appiano historico agi in hac Frontonis Epistula: siquidem dicitur Appianus Procurationem impetrasse (et quidem iam patet intercedente Frontone) qua obtenta causidicorum scatebra exoritura erat idem petentium; ergo Appianus erat de classe causidicorum. Porro exploratum est, Appianum historicum æqualem fuisse Frontonis: eiusdem vero et amicum fuisse constat etiam ex mutuis horum Epistulis, quas in Libro græcarum exhibemus.

adfirmare ausim, eadem modestia usurum, qua Calpurnius Iulianus meus usus est. Dignitatis enim suæ in senectute ornandæ causa, non ambitione aut procuratoris stipendii (1) cupiditate optat adipisci hunc honorem. Cum primum pro Appiano petivi, ita benigne admisisti preces meas, ut sperare deberem. Proximo superiore anno petenti mihi propitius multa respondisti: illud vero etiam comiter, futurum ut cum Appiano, me rogante, procurationem dedisses, causidicorum scatebra exoreretur idem petentium. Meministi etiam quem de Græcia propitius et ridens nominaveris. Sed multa (dis)tant: ætas, orbitas, cui leniendæ, solaciis opus est. Ausim dicere honestatem quoque et probitatem inter duos bonos viros nonnihil tamen distare. Quod propterea facilius dico, quoniam illum, cui Amicum meum antepono, non nominavi. Postremo dicam quomodo

(1) Cod. *stipendiis.*

simplicitas mea, et veritas me dicere hortantur, et fiducia amoris erga te mei. Profecto æquius esse illum quoque propter me impetrare. Memento etiam, Domine Imperator, cum illè meo exemplo petet, me biennio hoc petisse. Igitur illi quoque, si videbitur, post biennium dato. Fecerit exemplo nostro, si ipse quoque se tibi impetraverit excusare.

XII. » ANTONINUS IMPERATOR MARCO CÆSARI » (1)

.... meremur et mihi filiam et tibi uxorem: ut recte proveniat, favebunt: et familiam nostram liberis ac nepotibus augebunt: et eos qui ex te geniti sunt, eruntque, tui similes præstabunt. Cum

(1) Hæc Epistula, cuius supplevi inscriptionem, dicenda est, ut puto, Antonini Pii ad M. Aurelium. 1.° quia Filia Antonini Faustina fuit uxor M. Aurelii. 2.° quia hic mentio fit vindemiarum, quas Pius privati modo cum amicis agere solebat, ut narrat Capitolinus in eius vita p. 30 D. 3.° quia senex Pius potuit revera hanc Epistulam de Frontone scribere ad M. Aurelium, non vero hic v. gr. ad Pompeianum generum: nam vivente Frontone M. Aurelius non erat senex.

isto quidem sive Victorino (1) nostro sive Frontone cotidianæ mihi lites et iurgia intercedunt. Qum tu nullam umquam mercedem ullius rei agendæ dicendæve a quoquam postularis, Fronto iste nullum verbum prius neque frequentius congarrit, quam hoc DA. Ego contra quod possum aut chartulas ei aut tabellas porrigo, quarum rerum petitorem eum esse cupio. Nonnulla tamen et aviti ingenii signa ostendit. Uvarum avidissimus est. Primum denique hunc cibum deglutivit, nec cessavit per totos pæne dies aut lingua lambere ubam (2), aut labris saviari (3), aut gingivis lacessere aut ludicrari. Avicularum etiam cupidissimus, pullis gallinarum, columbarum, passerum oblectatur. Quo studio

(1) Arbitror dici hic Cornelium Victorinum, qui fuit præfectus prætorii sub Antonino Pio, ut refert Capitolinus in Pii ipsius vita p. 29. A. Sed tamen et alter exstitit Aufidius Victorinus M. Aurelii amicus et condiscipulus de quo vide Epistulam I. Libri I. ad Marcum, ibique nostram de eo notam 1. p. 40.

(2) Ita Cod. *ubam* (at superius *uvarum*). Recole p. 24. *beneficia*.

(3) Ita Cod. *saviari*.

me a prima infantia devinctum fuisse sæpe audivi ex his qui mihi eductores (1) aut magistri fuerunt. Senex etiam quanto perdicum studio tenear, nemo est, qui me leviter noverit, qui nesciat. Nullum est enim factum meum dictumve, quod clam ceteris esse velim: quin cui rei mihimet ipse conscius sim, ceteros quoque omnes iuxta mecum scire velim ...

XIII. FRONTO ... OR ... (2)

AM... nullus dolor... aut..in.. teris aut internati oriebantur inter nativum, Græci IERON OSTON, Svetonius (3) Tranquillus SPINAM SACRAM appellat. Ego me neque græcum neque latinum vocabulum ullius membri nosse mallem, dum istius doloris expers vitam degerem . . .

(1) Nota vocabulum *eductores* pro *educatores*.

(2) Hoc quoque Fragmentum videbatur collocandum in Libro Epistularum ad Antoninum Pium, quia exstat in eodem Codicis folio, atque superius Fragmentum.

(3) Cod. *Seetonius*. Porro Svetonii auctoritas in re grammatica aut philologica latina sæpe laudatur a Servio, Isidoro, aliisque.



M. AVRELIVS CAESAR

EX NVMISMATE MAX. MODVLI

MVSEI CAES. REG. MEDIOL.

·M· FRONTONIS

EPISTULARUM AD MARCUM CÆSAREM

LIBER I.

I. Cæsari Aurelio Domino meo
Consul tuus Fronto

Quæ sint aures hominum hoc tempore, quanta in spectandis orationibus elegantia, ex Aufidio (1) nostro π . . . πάντα ἡμῖν εὐίατα καὶ τούτου μακρῷ δεύτερα (2), scire poteris: *et* quantos in Oratione mea clamores concitarit, quantoque concentu laudantium sit exceptum: OMNIBUS TUNC IMAGO PATRICIIS PINGEBATUR INSIGNIS (3). At ubi genus nobile

(1) Nempe *ex Aufidio Victorino*, de quo inferius in hac Epistula.

(2) Vide hunc locum in fine Epistulæ græcæ IV.

(3) Hic et inferior locus sunt ex Oratione quadam Frontonis.

ignobili conparans dixi: UT SIQUIS IGNEM DE ROGO ET ARA ACCENSUM SIMILEM PUTET, QUONIAM ÆQUE LUCEAT; ad hoc pauca admurmurati sunt. Quorsum hoc retuli? uti te, Domine, ita conpares, ubi quid in cœtu hominum recitabis, ut scias auribus serviendum: plane non ubique et omni modo, attamen nonnumquam et aliquando. Quod ubi facies, simile facere te reputato, atque illud facitis, ubi eos qui bestias strenue interfecerint, populo postulante ornatis aut manumittitis, nocentes etiam homines aut scelere damnatos, sed populo postulante conceditis. Ubique igitur populus dominatur et præpollet. Igitur ut populo gratum erit, ita facies atque ita dices. Hîc summa illa virtus Oratoris atque ardua est, ut non magno detrimento recta eloquentia auditores oblectet: eaque delenimenta quæ mulcendis volgi auribus conparat, ne cum multo ac magno dedecore fucata sint. Ut in compositionis

instructurâ æque mollitia sit delictum, quam in sententia inpudenti. Vestem quoque, lanarum mollitia delicatam potius, quam colore muliebri, filo tenui aut serico: purpuream ipsam, non luteam nec crocatam *præoptamus* (1). Vobis præterea, quibus purpura et cocco uti necessarium est, eodem cultu nonnumquam oratio quoque amicienda est. Facies istud et temperabis et moderaberis optimo modo ac temperamento. Sic enim auguror quidquid egregie umquam in eloquentia factum sit, te id perfecturum. Tanto ingenio es præditus, tantoque te studio exerces et labore (2)! quom in aliis vel sine ingenio studium, vel sine studio solum ingenium egregiam gloriam pepererit. Certum habeo te, Domine, aliquantum temporis etiam prosæ orationi

(1) Videbatur supplendum hoc verbum.

(2) Confirmat Capitolinus in eius vita p. 33. D. » Tantum operis et laboris studiis inpendit (Marcus), » ut corpus afficeret, atque in hoc solo pueritia » eius reprehenderetur ».

scribendæ (1) inpendere. Nam (etsi) æque pernicitas equorum exercetur sive quadrupedo currant atque exerceantur, sive tolutim; attamen ea, quæ magis necessaria, frequentius sunt experiunda. Iam enim non ita tecum ago, ut te duos et viginti annos natum (2) cogitem. Qua ætate ego vix dum quicquam veterum lectionum addidiceram (3), Deorum et tua virtute profectum tantum in eloquentia

(1) Cod. *prose orationis inscribendæ.*

(2) M. Aurelius natus est, ut narrat Capitolinus, M. Annio Vero avo suo iterum et Augure Coss. Ergo annus XXII. Marci incidit in annum Urbis DCCCXCVI. Coss. ordinariis T. Bellicio Torquato et T. Claudio Attico Herode, Pii imperantis ann. VI. Iam vero hoc anno se dicit consulem Fronto, ut patet ex huius Epistulæ epigraphe; ergo hoc ipso anno consul suffectus est. Hinc duo sane utilia colligimus 1.° annum consulatûs Frontonis, qui adhuc latebat. 2.° quo definite anno scriptæ sint eæ omnes Epistulæ, in quibus Fronto dicitur consul. Quum autem, ut diximus, hoc anno consul fuerit ordinarius Atticus Herodes, sequitur ut duo Marci Magistri Fronto et Herodes eodem tempore amplissimum apud romanos honorem adepti sint.

(3) Cod. *adeceram.*

adsecutus es, quantum senioribus ad gloriam sufficiat, et, quod est difficillimum, in omni genere dicendi. Epistulæ tuæ, quas adsiduas scripsisti, mihi satis ostendunt, quid etiam in istis remissioribus et Tullianis (1) facere possis. Pro Polemone

(1) Quanti fecerit Fronto Ciceronis Orationes patet ex eius Epistula ad Aufidium Victorinum quæ incipit *Ad maius tempus*. Verum hoc loco, ni fallor, genus Epistularum Tullianarum carpit Fronto ut remissum. Quam meam sententiam confirmat fortasse Sidonius Apollinaris Epist. I. Lib. I. ubi ait: „ Nam de M. Tullio silere me in stilo epistulari me- „ lius puto, quem nec Iulius Titianus totum sub „ nominibus illustrium fæminarum digna similitu- „ dine expressit. Propter quod illum ceteri quique „ Frontonianorum, utpote consectaneum æmulati, „ cur veternosum dicendi genus imitaretur, orato- „ rum simiam nuncupaverunt (Titianum) „. Quo loco reprehendi a Sidonio epistularem stilum Ciceronis Petrarcha (Præf. ad suas Epist.) Politianus (Epist. I. Lib. I.) censuerunt, a quibus tamen Savarus et Sirmondus aperte dissentiunt. Sidonii obscurum locum satis erudite post hos illustrat Barthius (Adversar. Lib. XLVII. Cap. 9.) atque in Petrarchæ et Politiani sententiam omnino concedit. Meam ego opinionem tantos inter viros vix interponere ausim. Ceterum Frontonianum genus scribendi plane dissensit a Tulliano: namque hoc *copiosum*, illud *siccum* pronunciat Macrobius (Saturnal. V. I.) Forte igitur

rhetore (1), quem mihi tu in Epistula tua proxime exhibuisti Tullianum; ego in Oratione, quam in senatu recitavi (2), philosophum reddidi, nisi me opinio fallit, peratticum. An quid? Tu dicas, Marce, quemadmodum tibi videtur fabula Polemonis a te descripta (3). Plane multum

---

hoc loco Fronto dicit Tullianum *remissum* id ipsum quod Macrobio *copiosum* est: suum autem *philosophum peratticum*, quod Macrobio *siccum* est. Iuvat hîc adscribere locum Auctoris Dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ (Cap XVIII.) „ Satis constat „ nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, qui- „ bus .... parum atticus videretur .... Ciceronem „ a Calvo quidem male audivisse, tamquam solu- „ tum et enervem: a Bruto autem, ut ipsius verbis „ utar, tamquam fractum atque elumbem. Si me „ interroges, (*inquit Aper*), omnes mihi videntur „ verum dixisse „. Sed vide Epist. IV. Lib. II. ad Verum prope finem.

(1) De Polemone rhetore vide Epist. IX. Lib. I. ad Verum.

(2) Recole Epist. I. Libri ad Antoninum Pium.

(3) Cod. *adedescripta*. Constat autem ex Epist. X. Libri ad Antoninum Pium p. 24., M. Aurelium sua manu descripsisse eam Orationem Frontonis, in quam hic inseruerat, ut hoc loco dicit, fabulam Polemonis illius antiqui, ut videtur, de quo cecinit Horatius. Idque ideo fortasse fecerat Fronto, ut Polemonem alterum oblique sugillaret.

mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus memorabilis poeta, mihique propter Mecenatem et Mecenatianos hortos meos (1) non alienus. Is namque Oratius Sermonum libro secundo (2) fabulam istam Polemonis inseruit, si recte memini, hisce versibus:

Mutatus Polemon ponas (3) insignia morbi
Fasciolas cubital focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas
Postquam est inpransi correptus (4) voce magistri.

Versus, quos mihi miseras remisi tibi per Victorinum nostrum, atque ita remisi: chartam diligenter lino transui et ita linum obsignavi, ne musculus iste aliquid aliquâ rimari possit. Nam mihi ipse de tuis hexametris numquam quicquam impertivit. Ita est malus ac malitiosus. Sed ait, te de industria cito et

(1) Mecenas habitavit in Exquiliis. Quoniam vero Fronto possedit eius hortos, hinc fortasse colligas ubinam Romæ habitaverit Fronto.

(2) Satyr. III. v. 254-257.

(3) Cod. *pœnas*.

(4) Cod. *corruptus*.

cursim hexametros tuos recitare: eo se memoriæ mandare non posse (1). Remuneratus est igitur a me mutuo. (Paria) habet ne ullum hinc versum audiret. Memini etiam te frequenter, ne cuiquam versus tuos ostenderem, admonuisse.

Quid est, Domine? Certe hilaris es, certe bene vales, omnium rerum certe sanus es. Male dum similiter ne umquam nos perturbes, ut natali tuo perturbasti (2), cetera minus laboro. ἐπὶ σοὶ κακὸν εἰς πύρρυ (3) κεφαλὴν. Vale meum gaudium, mea securitas, hilaritas, gloria. Vale et me, obsecro, omnimode ames qua ioco qua serio.

Epistulam Matri tuæ scripsi, quæ mea inpudentia est, græce (4), eamque Epistulæ ad te scribtæ inplicui. Tu prior lege, et

(1) Hinc confirmatur quod ait Capitolinus in *Marco* p. 33-34. Victorinum fuisse condiscipulum et familiarem Marci.

(2) Recole notam 2. p. 35.

(3) Ita plane videtur in Codice πύρρυ. Fuit autem apud Græcos imprecationis genus εἰς κεφαλήν σοι.

(4) Hanc lege in Epistulis græcis secundam.

siquis insit barbarismus, tu qui a græcis litteris recentior es, corrige, atque ita Matri redde. Nolo enim me Mater tua ut opicum contemnat. Vale, Domine, et Matri savium da, cum Epistulam dabis, quo libentius legat.

II. ·M· CÆSAR FRONTONI
MAGISTRO SUO SALUTEM

ACCIPE nunc (perpaucu)la contra Somnum *ad tua* (1) pro Somno. Quamquam, puto, prævaricor (2), qui adsidue diei ac noctis Somno adsum, neque eum desero, neque (ille me) deserat: adeo sumus familiares. Sed cupio hac sua accusatione offensus paulisper a me abscedat, et lucubratiunculæ aliquam tandem

(1) Somni laudes non solum in Epistula Alsiensi III. sed etiam in alia ad Marcum Baiis degentem scripserat Fronto. Videsis p. 193. notam nostram 1. Frontonis Baianæ, ut ita dicam, Epistulæ respondet nunc Marcus.

(2) *Prævaricari* verbum forense, quod usurpatur de accusatore, qui dum fingit, se accusare, id agit potius, ut reus absolvatur.

facultatem tribuat. Igitur ἐπι(χειρή)ματα (ποικί)λα. Et quidem illo primo utar epichiremate, quod si tu dicas faciliorem me materiam mihi ads(umps)isse accusandi Somni, quam te qui laudaveris Somnum; quis enim, inquis, non facile Somnum accusaverit? Igit(ur cui)us facilis accusatio (est, indeque) difficilis laudatio, eius non utilis usurpatio. Sed hoc transeo. Nunc quando apud Baias agimus, in h(oc) di(utur)no Ulixi (1) labyrintho, ab Ulixe mihi paucula, quæ ad hanc rem attinent, sumam. Non enim ille profecto εἰκοστῷ demum ἔτει venisset εἰς πατρίδα γαῖαν, neque in isto lacu tamdiu oberrasset, neque alia omnia quæ Ὀδυσσείαν faciunt, perpessus esset, nisi

Odyss. γ. 117.

(1) Pro *Ulixis*. Quintilianus I. 5. „ Genitivus „ Achilli et Ulixi fecit, sic alia plurima. Nunc „ recentiores instituerunt græcis nominibus græcas „ terminationes potius dare .... Mihi autem placet „ latinam rationem sequi, quousque patitur de- „ cor „. Constat autem ex his Operibus Frontonem et Marcum antiquorum verborum modorumque fuisse studiosissimos.

Odyss.

κ. 31. Γλυκὺς ὕπνος ἐπήλυθε κεκμαῶτα.

Quamquam

κ. 29. Τῇ δ' ἤδη δεκάτῃ ἀνεφαίνετο πατρὶς ἄρουρα.

Sed quid Somnus fecit?

κ. 46. Βουλὴ δὲ κακὴ νίκησεν (1) ἑταίρων.
47. Ἀσκὸν μὲν λῦσαν, ἄνεμοι δ' ἐκ πάντες ὄρουσαν.
48. Τοὺς δ' αἶψ' ἁρπάξασα φέρεν πόντονδε θύελλα
49. Κλαίοντας γαίης ἄπο πατρίδος.

Quid rursum apud insulam Trinacriam?

μ. 338. Οἵ δ' ἄν ἐμοὶ γλυκὺν ὕπνον ἐπὶ βλεφάροισιν ἔχευαν.
Εὐρύλοχος δ' ἑτάροισι κακῆς ἐξήρχετο βουλῆς.

Postea ubi

λ. 107. Ἠλίοιο βόας καὶ ἴφια μῆλα
μ. 359. Ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν,
364. Καὶ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο·

Quid tum expertus Ulixes?

370. Οἰμώξας δὲ θεοῖσι μετ' (2) ἀθανάτοισιν ἐγώνουν (3)
372. Ἦ με μάλ' εἰς ἄτην κοιμήσατε νηλέϊ ὕπνῳ.

---

(1) Cod. νείκησεν.

(2) Cod. μετὰ.

(3) Ita prima scriptura, quæ tamen corrigitur in ipso Codice ἐγεγώνουν. Sed in Editis est ἀθανάτοισι γεγώνευν.

Odyss. Somnus autem Ulixen ne Patriam quidem suam diu agnasceret (1) sivit, cuius

α. 58. Καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι

59. Ἧς γαίης θανέειν εἱμείρετο.

Nunc a Laertio ad Atridam transeo. Nam illud πασεύνῃ (2), quod eum decepit, cuius causa tot legiones funduntur, fugantur, ex Somno et ex Somnio profecto oritur.

Quid quom ὁ Ποιητὴς Agamemnonem laudat, quid ait?

Iliad. δ. 223. Ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον.

Quid quom reprælendit?

β. 24. Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Quos quidem versus Orator egregius mire quondam evertit.

---

(1) Ita Cod. *agnasceret*, sed videtur emendandum *agnosceret*.

(2) Ita perspicue Codex πασεύνῃ. Ceterum videtur scribendum πανουδίῃ vel πασσυδίῃ, quod vocabulum pronunciatum a Iove (Iliad. β. 12.) nunciatur a Somnio (29) et repetitur ab Agamemnone (66). Huius autem ambigui vocabuli varias explicationes videsis apud Eustathium, nec non apud Scholiastas antiquos in Editione Iliadis veneta Villoisoni.

Transeo nunc ad ·Q· Ennium nostrum, quem tu ais ex Somno et Somnio initium sibi fecisse (1). Sed profecto nisi ex Somno suscitatus esset, numquam Somnium suum narrasset. Hinc ad Hesiodum pastorem, quem dormientem poetam ais esse factum (2). At enim ego memini olim apud Magistrum (3) me legere:

Ποιμένι μῆλα νέμοντι παρ' ἴχνιον ὀξέος ἵππου
Ἡσιόδῳ μουσέων ἑσμὸς ὅτ' ἠντίασεν.

Τὸ *ὅτ' ἠντίασεν* vides quale sit: scilicet ambulanti obviam venisse Musas (4). Quid autem tu de eo existimas, quem qui pulcherrime laudat, quid ait?

Odyss. v. 80. *Νήδυμος ἤδυστος θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς.*

Hæc satis tui amore potius, quam mei fiducia (5) luserim. Nunc bene accusato Somno dormitum eo. Nam vespera hæc

(1) Notemus quodnam fuerit exordium Q. Ennii Annalium, Somnium nempe, cuius revera supersunt vestigia in Fragmentis Libri I.

(2) V. Synesium *de Insomniis* Edit. Petavianæ p. 136. ibidemque Nicephorum p. 371.

(3) Dicit Frontonem. V. Epistulam sequentem p. 48.

(4) V. Hesiodi Theogon. 23. sq.

(5) Cod. *meæ fiduciæ.*

ad te detexui. Orione (1) mihi Somnus gratiam referat.

III. ·M· CÆSARI DOMINO SUO FRONTO

DOMUM reverso mihi Epistula tua reddita est, quam tu videlicet Romam mihi scripseras, et erat lata Romam: deinde hodie relata, et paulo ante mihi est reddita. In qua pauca, quæ ego pro Somno dixeram, tu multis et elegantibus argumentis refutasti ita scite ita subtiliter et apte, ut si vigilia tibi hoc acuminis et leporis (2) adfert, ego prorsus vigilare te mallem. Sed enim vespera scripsisse te ais, cum paulo post dormiturus esses. Igitur adpropinquans et imminens tibi

(1) Haud scio an hoc intelligendum de hyberna nocte, quo tempore apparet Orion, et somnus gravior nos opprimit. Certe Epistulam v. huius libri videtur scripsisse Marcus hyberno tempore.

(2) Eamdem laudem tribuit Marco Fronto apud Charisium in Pustchio p. 177. v. 34. „ Adest etiam „ usquequaque tibi naturâ situs lepos et venustas ".

Somnus tam elegantem hanc Epistulam fecit. Namque ut crocus, ita Somnus, priusquam prope adsit, longe præolet longeque delectat. Ut a principio igitur Epistulæ tuæ incipiam, elegantissime prævaricari te ais, quod *verbum adeo proprium* est, ut, eo sublato, aliud subdi eiusdem usus et ponderis non possit. Illud vero dictum elegans Baiæ, Lucrinus, et Avernus, et alia omnia quæ 'Οδυσσείαν faciunt. Enimvero omnia ista inter græcos versus latina ita scite alternata sunt a te et interposita, ut est ille in pyrricha (1) versicolorum discursus *, quom amicti cocco alii, alii luteo et ostro et purpura, alii aliique coherentes (2) concursant. Iam a Laertio ad Atridam eleganter transisti. Ecce autem circa Ennium

* *In margine :* In oratione, ut in pyrricha, versicolorus debet fieri discursus.

(1) *Pyrricha* armata saltatio, de qua vide Dionysium Halicarnassensem Lib. VII. p. 476.
(2) Ita Cod. sine diphthongo.

aliam malitiosam peltam dedisti, cum ais: » nisi ex Somno exsuscitatus esset, » numquam Somnium suum narrasset ». *Excogitet* Marcus meus Cæsar, si pote, aliquid argutius. Præstigiæ nullæ tam versutæ, NULLA, ut ait Levius (1), DECIPULA TAM INSIDIOSA. Qui(d si) ego id postulo ne expergiscare? Quin postul(o ut) tu dormias. Aliud scurrarum proverbium (2): EN CUM QUO IN TENEBRIS MICES. Sed sum ne ego beatus, qui hæc intellego et perspicio, et insuper Magister appellor? Quo pacto ego Magister? qui unum hoc quod te docere cupio ut dormias, non inpetro? Perge ut libet, dummodo Dii te mihi, sive prodormias, sive pervigiles . . . (prot) egant . . . . Vale meum gaudium. Vale.

---

(1) Levii poetæ Fragmenta supersunt apud Gellium II. 24, Festum voc. *Petrarum* et *Rediviam*, atque Apuleium (Edit. Paris. 1688. p. 455.). Locus tamen Gellii certior est : nam in reliquis legitur, etsi ex mendo, *Lælius* et *Livius*.

(2) Cicero *de Officiis* III. 19. dicit hoc *rusticorum proverbium*.

IV. DOMINO MEO

PRO cetera erga me benivolentia tua fecisti, quod Orationum, quas Frater tuus Dominus noster (1) desideraverat, mittendarum me gratiam inire voluisti. Adiunxi ultro ego tertiam Orationem pro Demonstrato Petiliano (2) de qua illi scripsi (3): adiunxi, inquam, Orationem pro Demonstrato, quam cum primum Fratri tuo optuli, didici ex eo Asclepiodotum, qui Oratione ista compelletur (4), a te non inprobari. Quod ego ubi comperi, curavi equidem abolere Orationem. Sed iam pervaserat in manus plurium, quam ut aboleri posset. Quid igitur? quid inquam? *Nisi* Asclepiodotum, cum a te

(1) Lucius Verus.

(2) De Oratione Frontonis pro Demonstrato Petiliano locuti sumus in Commentario prævio Part. I. Cap. 24 p. 54 - 55.

(3) Confer Epistulam VII. Lib. I. ad Verum: omnia enim quæ hîc sequuntur, ex ea repetuntur.

(4) Ita in utroque Codicis loco: est autem a verbo *compello, as*; nempe *accuso* vel *reprehendo*.

probetur, mihi quoque fieri amicissimum, tam hercule quam est Herodes summus nunc meus, quamquam extet Oratio. Vale Domine dulcissime.

V. » ·M· CÆSAR FRONTONI MAGISTRO SUO (1) »

.....lio paululum et ex Ciceronis Oratione, sed quasi furtim, certe quidem raptim, tantum instat aliud ex alio (2) curarum! quom interim requies una librum in manus sumere. Nam Parvolæ nostræ (3) nunc apud Matidiam (4) in oppido hospitantur. Igitur vespera ad

(1) Acephala est Epistula, sed inscriptio certo eruitur ex sequente.

(2) Cod. *ex alia.*

(3) Filias Marci memorat Capitolinus in *Marco* p. 40. B. Nos quoque eas recensebimus ad Epistulam I. Alsiensem p. 173. n. 3.

(4) Matidia Iunior, Antonini Pii matertera fuit. De illius hereditate vide infra Fragmentum Orationis Frontonianæ.

me ventitare non possunt propter auræ rigorem. Vale mi Domine Magister. Dominus meus frater et Filiæ cum sua Matre, cuius præ . . . . per . . . . avis ex animo (tibi) salutem dicunt.

Mitte mihi aliquid, quod tibi disertissimum videatur, quod legam, vel tuum, vel Catonis, vel Ciceronis, aut Sallustii aut Gracchi, aut poetæ alicuius. *χρήζω γὰρ ἀναπαύλης*, et maxime hoc genus. Quæ me lectio extollat et diffundat *ἐκ τῶν κατειληφυιῶν φροντίδων*. Etiam siqua Lucretii, aut Enni excerpta habes *εὔφωνα καὶ . . . . φρα*, et sicubi *ἤθους ἐμφάσεις*. Vale mi Magister dulcissime. Nepotem saluta.

VI. DOMINO MEO ANTONINO AUGUSTO FRONTO

NE ego post homines natos et locutos omnium facundissimus habear, cum tu, ·M· Aureli, mea scripta lectitas et

probas, et lucrativa tua in tantis negotiis tempora meis quoque Orationibus legendis occupare non inutile tibi arbitraris nec infructuosum. Quod sive amore inductus etiam ingenio meo delectaris, beatissimus equidem sum, quod tibi tam sum carus, ut esse videar etiam disertus. Sive ita censes, atque ita iudicio tuo et animi sententia decernis, mihi quoque iam disertus iure videbor, quoniam videar tibi. Quod vero Patris tui laudes a me in Senatu, designato et inito consulatu, dictas (1) legisti libenter, minime miror. Namque tu Parthos etiam et Hiberos sua lingua Patrem tuum laudantes, pro summis oratoribus audias. Nec meam Orationem, sed Patris tui virtutem miratus es: nec laudatoris verba, sed laudati facta laudasti. De tuis etiam laudibus, quas in Senatu eadem illa die protuli, ita sentias velim: tunc in te

(1) De hac Oratione vide Epist. I. et II. Libri ad Pium, et Epist. II. græcam.

eximiam indolem fuisse, nunc summam virtutem: frugem tunc in segete florentem, nunc messem perfectam et horreo conditam: sperabam tunc, habeo nunc: spes in rem convertit. Quod autem mitti a me tibi postulasti, acceptis .... Atticis propinque thymum serpyllumque hymmetium ruminantibus viris ... Vel graves ex orationibus Veterum sententias arriperetis, vel dulces ex poematis, vel ex historia splendidas, vel comes ex comœdiis (1), vel urbanas ex togatis, vel ex atellanis lepidas et facetas ... Mittam igitur tibi quantum pote librum hunc descriptum. Vale, Cæsar, et ride, et omnem vitam lætare, et parentibus optimis et eximio ingenio tuo fruere.

VII. ·M· Cæsar Imperator
Frontoni Magistro suo

Quid ego ista mea fortuna satis dixerim, vel quomodo istam necessitatem

(1) Cod. *comedis*.

meam durissimam condigne incusavero, quæ me istic ita animo anxio tantaque sollicitudine præpedito alligatum attinet? Neque me sinit ad meum Frontonem, ad meam pulcherrimam animam confestim percurrere, præsertim in huiusmodi eius valetudine prope accedere, manus tenere, ipsum denique illum pedem (1), quantum sine incommodo fieri posset, adtrectare sensim, in balneo fovere, ingredienti manum subicere. Et tu me amicum vocas, qui non abruptis domibus cursu m(ox)... pervolo? Ego vero magis sum claudus quom ista mea verecundia immo pigritia. (O)me! quid dicam? Metuo quicquam dicere, quod tu audire nolis. Nam tu quidem me omni modo conisus es iocularibus istis tuis ac lepidissimis verbis a cura amovere, atque te omnia ista æquo animo perpeti posse ostendere. At ego ubi animus meus sit, nescio. Nisi hoc scio, illô nescio quô

(1) De Frontonis valetudine recole dicta ad Epist. V. Libri ad Pium p. 12. n. 1.

ad te profectum eum esse. Cura, miserere, omni temperantia apstinentia omnem istam tibi pro tua virtute tolerandam, mihi vero asperrimam nequissimamque valetudinem depellere. Et *si* ad aquas proficisceris, et quando, et nunc ut commode agas cito, oro, perscribe mihi, et mentem meam in pectus meum repone. Ego interim vel tales tuas litteras mecum gestabo. Vale mi Fronto iucundissime. Quamquam ita me dispositum dicere oportet, nam tu quidem aves. O qui ubique estis Di boni, valeat, oro, meus Fronto iucundissimus atque carissimus mihi, valeat semper integro inlibato incolumi corpore, valeat et mecum esse possit. Homo sanctissime vale.

VIII. CÆSARI SUO FRONTO

Tu, Cæsar, Frontonem istum tuum sine fine amas, vix ut tibi homini facundissimo verba sufficiant ad exprimendum

amorem tuum et benivolentiam declarandam. Quid, oro te, fortunatius, quid me uno beatius esse potest, ad quem tu tam fraglantes (1) litteras mittis? Quin etiam, quod est amantiorum proprium, currere ad me vis et volare. Solet mea Domina Parens tua interdum ioco dicere, se mihi, quod a te tanto opere diligar invidere. Quid (2) si istas litteras tuas, quibus pedem etiam pro salute mea votis advocas et precaris? O me beatum! ort... commendatum. Putas ne ullus dolor penetrare sciat corpus aut animum meum tanto gaudio (præoccupatum)? Babæ (3) nec doleo iam. Quamquam... æ Cæsar, vigeo, valeo, exulto, quo vis veniam, quo vis curram. Crede istud mihi, tanta me lætitia perfusum, ut rescribere tibi ilico non potuerim. Sed eas quidem litteras, quas ad priorem

(1) Pro *flagrantes*. Sic in Epist. IX. Lib. II. ad Marcum *fraglo* pro *flagro*.

(2) Cod. *quod*.

(3) Cod. *Babe*.

Epistulam tuam iam rescripseram, dimisi ad te: sequentem autem tabellarium retinui, quo ex gaudio resipiscerem. Ecce nox præteriit, dies hic est . . . (nem)pe exactus est. Nescio quid aut quemadmodum rescribam tibi. Quid enim ego possum iucundius, quid blandius, quid amantius *quam quod tu* scribsisti mihi (rescribere)? Et gaudeo quod ingratum me, et referundæ gratiæ imparem facias: quoniam, ut res est, ita me diligis, ut ego te magis amare vix possim. Igitur ut argumentum aliquod prolixiori Epistulæ reperiam, quod, oro te, ob meritum sic me amas? Quid iste Fronto tantum boni fecit, ut eum tanto opere tu diligas? Caput suum pro te aut parentibus tuis devovit? Succidaneum se pro vestris periculis subdidit? Provinciam aliquam fideliter administravit (1)? Exercitum duxit? Nihil eorum (2). Ne cotidianis

---

(1) Vide quæ diximus in Nota 1. ad Epist. VIII. Libri ad Pium.

(2) Sic Cod. pro *horum*, quod grammatici concedunt.

quidem istis officiis circa te præter ceteros fungitur: et immo . . . . . vel is satis infrequens. Nam nec domum vestram diluculo ventitat, neque cotidie salutat, neque ubique comitatur, nec semper spectat. Vide igitur, ut siquis interroget, cur Frontonem ames, habeas in promptu quod facile respondeas. At ego nihil quidem malo, quam amoris erga me tui nullam extra (1) rationem: nec omnino mihi amor videtur qui ratione oritur, et iustis certis de causis copulatur. Amorem ego illum intellego fortuitum et liberum et nullis servientem, inpetu potius quam ratione conceptum: qui non officiis, uti ignis, sed sponte ortus vaporibus caleat. Baiarum ego calidos specus magis quam istas fornaculas balnearum *optem*, in quibus ignis cum sumptu atque fumo accenditur brevique restinguitur. At illi ingenui

---

(1) Videtur emendandum *extare*.

vapores puri perpetuique sunt, grati pariter et gratuiti. Ad eundem prorsus modum amicitiæ istæ officiis calentes fumum interdum et lacrimas habent, et ubi primum cessaveris, extinguntur (1). Amor autem fortuitus, et iugis est et iucundus. Quid quod neque adolescit proinde neque conroboratur amicitia meritis parta, ut ille amor subitus ac repentinus? Ut non æque adolescunt in pomariis hortulisque arbusculæ manu cultæ rigatæque, ut illa in montibus æsculus et abies et alnus et cedrus et piceæ, quæ sponte natæ, sine ratione ac sine ordine sitæ, nullis cultorum laboribus neque officiis, sed ventis atque imbribus educantur. Tuus igitur iste amor incultus et sine ratione exortus, spero cum cedris porro adolescit (2) et æsculis: qui si officiorum ratione coleretur, non ultra myrtos laurusque procresceret, quibus satis odoris, parum roboris. Et omnino quantum

---

(1) Sic Cod. pro *extinguuntur*.

(2) Ita Cod. *adolescit*, nisi mavis dicere *adolescat*.

fortuna rationi, tantum amor fortuitus officioso amori antistat. Quis autem ignorat, rationem humani consilii vocabulum esse, fortunam autem Deam, Dearumque præcipuam? templa fana delubra passim fortunæ dicata; rationi nec simulacrum nec aram usquam consecratam. Non fallor itaque qui (1) malim amorem erga me tuum fortuna potius quam ratione genitum. Neque vero umquam ratio fortunam æquiperat neque maiestate neque usu neque dignitate. Nam neque aggeres manu ac ratione constructos montibus conparabis, neque aquæductus amnibus, neque receptacula fontibus. Tum ratio consiliorum prudentia appellatur, vatum impetus divinatio nuncupatur. Nec quisquam prudentissimæ feminæ consiliis potius accederet, quam vaticinationibus Sibyllæ (2). Quæ omnia quorsum tendunt? Ut ego recte malim impetu et forte potius, quam ratione ac merito meo diligi. Quamobrem etiam

(1) Cod. *quin.*
(2) Cod. *Sybillæ.*

siqua iusta ratio est amoris erga me tui, quæso Cæsar, sedulo demus operam ut ignoretur et lateat. Sine homines ambigant, disserant, disputent, coniectent, requirant, ut Nili caput, ita nostri amoris originem. Sed iam hora decima tangit, et tabellarius tuus mussat. Finis igitur sit Epistulæ. Valeo multo quam opinabar commodius. De aquis nihil dum cogito. Te Dominum meum, decus morum, solacium (maximum) multum amo. Dices: num amplius quam ego te? Non sum tam ingratus, ut hoc au(deam) dicere. Vale Cæsar cum tuis parentibus, et ingenium tuum excole.

IX. HAVE MI DOMINE MAGISTER

SIQUID somni redit post vigilias de quibus questus es, oro te, scribe mihi: et illud oro te primum, valetudini operam da. Tum securim Tenediam (1) quam

(1) Nempe *severum propositum*: est enim proverbium.

minaris abde aliquô ac reconde. Nec tu consilium causarum agendarum demiseris (1), aut tum simul omnia ora taceant. Græce nescio quid ais te compegisse (2) quod, ut æque pauca a te scribta, placeat tibi. Tu ne es qui me nuper concastigabas, quorsum græce scriberem? Mihi vero quid potissimum græce scribendum est. Quam ob rem rogas? Volo periculum facere an id quod non didici, facilius obsecundet mihi, quoniam quidem illud, quod didici, deserit. Sed, si me amas, misisses mi istud novicium, quod placere ais. Ego vero te vel invitum istic lego, et quidem hac re una ægre (3) sum. Materiam *quan*tam misisti mihi! Nec legi

---

(1) Ita Cod. pro *dimiseris*.

(2) In Codice post X. Epistulam huius Libri latinam, sequitur Epistula græca, quam nos fecimus primam Libri græcarum. Eam igitur græcam Epistulam puto dixisse Frontonem sibi affatim placere. Revera est magnifica quædam dissertatio de vitando puerorum amore.

(3) Cod. *egre*.

Cœlianum excerptum (1) quod misisti, nec legam, priusquam sensus ipse venatus fuero. Sed me Cæsaris Oratio (2) uncis unguibus adtinet. Nunc denique sentio quantum operis sit ternos vel quinos versus in die ornare, et aliquid diu scribere. Vale spiritus meus.

Ego non ardeam tuo amore, qui mihi huc scribseris? Quid faciam? non possum insistere. At mihi anno priore datum fuit hoc eodem loco eodemque tempore Matris desiderio peruri. Id desiderium hoc anno tu mihi accendis. Salutat te Domina *Faustina* mea.

---

(1) Non satis dispicio utrum Marcus intelligat Cœlium antiquiorem historicum, cuius Epitomen Brutus fecerat (V. Cic. ad Attic. XIII. 8), quique in deliciis Imperatori Hadriano fuit (V. Spartianum in huius vita p. 11. C.); an Cœlium oratorem Ciceronis auditorem. De usu excerpendi nobiliores Auctorum partes vide quæ dicimus infra ad Excerpta Sallustiana p. 315. n. 3.

(2) Videtur mihi intelligendus alteruter e Panegyricis Frontonianis in Pium, de quibus locuti sumus in Comm. præv. Part. I. Cap. 24. p. 51-53. Sed enim videbitur fortasse aliis Iulii Cæsaris Oratio aliqua heic designari.

X. HAVE MI MAGISTER OPTUME

AGE perge quantum libet, comminare et argumentorum globis criminere: numquam tu tamen Erasten tuum, me dico, depuleris (1). Nec ego minus amare me Frontonem prædicabo, minusve amabo, quo tu tam variis tamque vehementibus sententieis (2) adprobaris, minus amantibus magis opitulandum ac largiendum esse. Ego hercule te ita amo atque depereo. Neque debere reor isto tuo dogmate, ac si magis eris alieis non amantibus . . . . et promptus . . . . eo tamen . . . . (tuosque) amabo. Ceterum quod ad sensuum

---

(1) In prima Epistula græca p. 380. ait Fronto se tres Epistulas *de Amore* scripsisse ad Marcum. Et earum quidem primam scripserat ex Lysiæ sententia, quæ cuiusmodi fuerit videsis in nostro Monito p. 378–379. Præter tamen Lysiæ Orationem *de Amore*, cuius eo in loco nos meminimus, Epistulas quoque eius generis a Lysia conscriptas narrat Suidas in Λυσίας et innuit in φαῦλον.

(2) Ita Cod. pro *sententiis*.

densitatem, quod ad inventionis (1) argutiarum, quod ad æmulationis tuæ felicitatem, nolo quicquam dicere, *nisi* te multo placentis illos sibi et provocantis Atticos (2) antevenisse. Ac tamen nequeo quin dicam, amo enim, et hoc denique amantibus vere tribuendum esse censeo, quod victoriis (3) *τῶν ἐρωμένων*. Magis gaude(re di)cimus igitur, (dici)mus, inquam. Num . . . praestabilius ... ubique eam sub . . . tram pæ . . . tram promsi . . . utra re magis caveret. Quid de re ista (oro) tulerit an quo(d) Magister meus de Platone. Illud equidem non temere adiuravero, siquis iste revera Phæder (4) fuit, si

(1) Pro *inventiones*, sic infra *placentis* et *provocantis*.

(2) Innuit Marcus Platonem, cuius *Phædrus* est *de Amore*, ut græca Epistula Frontonis.

(3) Cod. videtur habere *victoris τὸν ἰρομένων*. Sed locus omnimode obscurus.

(4) Ita Cod. non *Phædrus* sed *Phæder*, de qua terminatione vide Burmannum in præfatione ad Phædrum p. 9. Iam Phædrum fuisse æqualem nedum amasium Socratis negat Athenæus lib. XI. p. 505. ubi plures eiusmodi anachronismos Platonis recenset.

umquam is a Socrate afuit (1), non magis Socratem Phædri desiderio, quam me perisse (sines)... duo menses (2)... arsisse... amet, nisi confestim tuo amore corripitur. Vale mihi maxima res sub cælo, gloria mea. Sufficit talem magistrum habuisse. Domina mea Mater te salutat (3).

---

(1) Ita Cod. *afuit* pro *abfuit*.

(2) Hinc eruas, has Epistulas amatorias scriptas esse quum Marcus, nunc Baiis degens nunc Neapoli, abesset a Frontone in huius consulatu bimestri. Confer Epist. IX. Lib. II. ad M. p. 82. cum nota 3.

(3) Quoniam sequitur in Codice ea Epistula græca, quam Fronto quidem p. 380. dicit tertiam, nos autem, amissis duabus prioribus, fecimus primam Libri græcarum; hinc iterum confirmari videtur, Marcum hac latina Epistula respondisse Epistulæ græcæ primæ *de Amore* (qua nempe Fronto Lysiam imitatus fuerat), quod superius diximus p. 64. n. 1.

·M· FRONTONIS
EPISTULARUM AD MARCUM CÆSAREM
LIBER II.

I. ·M· Aurelius Cæsar
Consuli suo et Magistro salutem

Postquam ad te proxime scripsi, postea nihil operæ pretium (1) quod ad te scriberetur, aut quod monitum ad aliquem modum iuvaret. Nam διὰ τῶν αὐτῶν fere dies tramisimus. Idem theatrum, idem otium, idem desiderium tuum. Quid dico idem? Immo id cottidie novatur et gliscit. Et quod ait Laberius de amore suo, modo καὶ ἐπὶ ἰδίᾳ μούσῃ, AMOR TUUS TAM CITO CRESCIT QUAM PORRUS, TAM FIRME QUAM PALMA. Hoc igitur ego ad desiderium

(1) Cod. *prætium*, idque cum diphthongo sæpissime vidi in antiquis Codicibus, quod iam monui ad Orat. Ciceronis *pro Tullio* Editionis meæ p. 27. n. 3.

verto, quod ille de amore ait. Volo ad te plura scribere, sed nihil suppetit. Ecce quod in animum venit. Encomiographos istos audimus, græcos scilicet, sed miros mortales: ut ego qui a græca litteratura tantum absum, quantum a terra Græcia mons Cœlius meus (1) abest, tamen me sperem illis conparatum, et iam Theopompum æquiperare posse: nam hunc audio apud græcos disertissimum (2) natum esse. Igitur pæne me opicum animantem a græca scriptura perpulerunt homines, ut Cæcilius (3) ait,

(1) M. Aurelius natus est in Cœlio monte, ut narrat Capitolinus in ejus vita p. 32. C. Ideo dicit *suum*.

(2) Hoc præcipue intelligendum est de vehementi et incitato genere dicendi Theopompino. Talem enim nobis describunt Theopompum Cicero Att. II. 6. et Dionys. Halic. Epist. ad Pomp. sub finem. Cicero præterea in *Bruto* XVII. ait, ipsius Thucydidis concisis sententiis Theopompum offecisse *elatione atque altitudine orationis suæ.* Hinc Isocrates magister, ut narrat idem Cicero in Bruto LVI. *acerrimo ejus ingenio frenos se adhibere* dicebat.

(3) Cæcilius Mediolanensis, Ennii æqualis, Comœdiarum scriptor præstantissimus.

INCOLUMI INSCIENTIA. Cælum Neapolitanum (1) plane * commodum, sed vehementer varium. In singulis scripulis horarum frigidius aut tepidius aut horridius fit. Iam primum media nox tepida, Laurentina. Tum autem gallicinium frigidulum, Lanuinum. Iam conticinnum (2) atque matutinum atque diluculum usque ad solis ortum, gelidum adalgidum maxime. Exin ante meridiem (3), apricum Tusculanum. Tum meridies fervida, Puteolana. At enim ubi sol latum ad oceanum profectus, fit demum cælum modestius, quod genus Tiburtinum. Id vespera et concubia nocte, DUM SE INTEMPESTA NOX, ut ait ·M· Porcius, PRÆCIPITAT, eodem

* *In margine*: Alibi, sane.

(1) Marcus Neapoli degebat dum hæc scriberet, quod patet etiam ex Epist. III. huius Libri.

(2) Ita Cod. *conticinnum*. Macrobius quidem Saturn. I. 3. habet *conticuum*, quem locum cum hoc conferre proderit.

(3) Cod. *adalgidum. Maxime eximante meridie.*

modo perseverat. Sed quid ego, me qui paucula scripturum promisi, deleramenta (1) Masuriana (2) congero? Igitur vale Magister benignissime, Consul amplissime, et me quantum amas, tantum desidera.

---

(1) Cod. ita pro *deliramenta*. Sic alibi constanter *neglego*, *neglegentia*, *intellego*, *delenimenta*.

(2) Masurius Sabinus celeberrimus iurisconsultus fuit Tiberio imperante. Masurius ὁ *πάντα ἄριστος καὶ σοφὸς καὶ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος* disputat apud Athenæum Lib. XIV. p. 623. De eodem sic Pomponius Digest. I. Tit. II. „ Masurius Sabinus Ateio „ Capitoni successit: in equestri ordine is fuit, „ et publice primus scripsit „. Huius Masurii meminere passim Plinius, Gellius, Arrianus, Macrobius, Servius, Nonius, aliique. *Masuriana deleramenta* dicit Marcus, huius Scriptoris prolixa volumina fortasse sugillans, quæ plurima sane edidit. Obiter tamen moneo, sicut heic Marcus *delirum Masurium* vocat, ita ab Horatio Serm. I. Satyr. III. 82. dici *insanum Labeonem*, qui fuit item celeberrimus iurisconsultus. Massurium cum duplici *s* corrupte a plerisque scribi iam notavit Vossius de Hist. lat. I. 21. Nam unicâ *s* scribendum esse, probatur invicte ex Persii Satyr. v. 90.

„ Excepto siquid Masuri rubrica vetavit „.
Id autem confirmat Marcus scribens *Masuriana*, non *Massuriana*.

II. CÆSARI SUO CONSUL

MEUM Fratrem (1) beatum qui vos in isto biduo viderit! At ego Romæ hereo (2) conpedibus aureis vinctus (3). Nec aliter Kal. Sept. (4) expecto, quam superstitiosi, stellam, qua visa ieiunium polluant (5). Vale, Cæsar, decus Patriæ et romani nominis. Vale.

(1) Sui Fratris, cum quo concordissime vixit, meminit Fronto etiam Epist. v. Lib. I. ad Verum, et Epist. II. de Nepote amisso.

(2) Sic Cod. sine diphthongo.

(3) Vinctus nimirum consulatu, de quo in sequente Epistula.

(4) Ex hoc loco et ex sequente Epistula apparet Frontonem abiisse consulatu Kalendis Septembris. Quum vero eum dicat Ausonius (in Grat. Act. Edit. Amstel. 1671. p. 714.) gessisse consulatum bimestrem, sequitur creatum esse consulem Kal. Iulii, nempe quarto nundino.

(5) Ieiunia etiam apud Ethnicos usurpata sunt. V. certe Livium XXXVI. 37. ubi de ieiunio Cereri instituto. Morem autem polluendi seu solvendi illud vespere, exorto sidere, testatur etiam Athenæus Lib. IV. p. 156. ὥσπερ νηστείαν ἄγοντας, καὶ

III. DOMINO MEO

GRATIAM meam (1) misi ad diem natalem Matris tuæ celebrandum, eique præcepi ut istic (2) subsisteret, quoad ego venirem. Eodem autem momento, quo consulatum eiuravero (3), vehiculum conscendam, et ad vos pervolabo. Interim Gratiæ meæ nullum a fame periculum

---

περιμένοντας τὸ ἀνατέλλον ἄστρον, οὗ φασι μὴ φανέντος οἱ τὴν χρηστὴν ταύτην φιλοσοφίαν εὑρόντες, νόμιμον εἶναι μηδενὸς γεύεσθαι: » apud vos qui religiose » ieiunatis, expectantes dum exoriatur sidus. Nam » qui optimam istam philosophiam excogitarunt, » quidquam gustare nefas esse credunt, priusquam » id appareat ». Neque in eo loco Athenæi intelligendum esse ieiunium Iudæorum aut Christianorum censet omnino Spanhemius ad Callim. Hymn. in Cerer. v. 6.

(1) Puto Uxorem Frontonis.

(2) Neapoli.

(3) Morem eiurandi magistratum apud romanos satis aperte narrat Herodianus Lib. IV. 3. Εἰς τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν προτιθέασιν, ἔνθα οἱ ῥωμαίων ἄρχοντες ἀπόμνυνται: » Deferunt (imaginem Imperatoris) in vetus forum, ubi romani eiurare magistratum solent ».

fore fide mea spopondi. Mater enim tua particulas a te sibi missas cum Clienta communicabit: neque est Gratia mea, ut causidicorum uxores feruntur, multi cibi. Sed enim quid me fiet? Ne osculum quidem ullum est Romæ residuum. Omnes meæ fortunæ et mea omnia gaudia Neapoli sunt. Oro te, quis iste mos est pridie magistratus eiurandi? Quid quod paratus sum, dum ante plures dies eiurem, per plures Deos (1) iurare? Quid est autem quod iuraturus sum me consulatu abire? Ego vero etiam illud iuravero, me olim consulatu abire cupere, ut ·M· Aurelium conplectar.

IV. CONSULI ET MAGISTRO MEO OPTIMO

Hoc sane supererat, ut super cetera, quæ insigniter erga nos facis, etiam Gratiam mitteres huc . . . . .

(1) Codex *dies*, tum emendatur *Deos* eadem manu.

V. MAGISTRO MEO

GRATIA minor effecit (1) quod Gratia maior fecit, et (2) sollicitudinem nostram vel interim minuat, vel iam omnino detergeat. Ego tibi de patrono meo ·M· Porcio (3) gratias ago, quod eum crebro lectitas. Tu mihi de ·C· Crispo (4) timeo, ut umquam gratias agere possis: nam uni ·M· Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum ATQUE unde putas? ex ipso furor (5). Perendinus dies meus festus erit, si certe tu venis. Vale amicissime et rarissime homo.

---

(1) Cod. *efecit*, neque tamen putavi mihi legendum *minore fecit*. Censeo hic indicari Uxorem et Filiam Frontonis. Et de Filia quidem, quam Fronto nuptum dedit Aufidio Victorino, videsis Epistulam II. de Nepote amisso.

(2) Forte emendandum *ut*.

(3) Catone.

(4) Sallustio.

(5) Cod. *furore*, sed lege *furor*, nempe *aufero*. Et quidem in ipso Codice fortasse deleta est *e*.

De Senatus huius *consulto* (1) magis hic futuri, quam illuc venturi videmur. Sed utrumque in ambiguo est. Tu modo perendie veni, et fiat quod volt semper. Mi vale animus meus. Mater mea te tuosque salutat.

VI. MAGISTRO SUO

Tu cum sine me es Catonem legis: at ego quom sine te sum causidicos in undecimam horam audio (2). Equidem velim istam noctem quam brevissimam esse. Tanti est minus lucubrare, ut te maturius videam. Vale mi Magister dulcissime. Mater mea te salutat. Spiritum vix habeo, ita sum defessus.

---

(1) Deest in Codice *consulto*, quod mihi tamen addendum videbatur. Dicit autem fortasse Fronto Senatum Neapolitanum.

(2) Hoc de Marco confirmat Capitolinus in eius vita p. 33. D. » Frequentavit et declamatorum scholas publicas ».

VII. AMPLISSIMO CONSULI
MAGISTRO SUO ·M· CÆSAR SALUTEM

ANNO abhinc tertio me commemini cum Patre meo (1) a vindemia redeunte, in agrum Pompei Falconis (2) devertere. Ibi me videre arborem multorum ramorum, quam ille suum nomen (3)

(1) Cum Antonino Pio, de quo (ut iam monui ad Epist. XII. Lib. ad Pium) Capitolinus in eius vita p. 30. D. ait. » Vindemias privati modo cum amicis agebat ».

(2) Ad Pompeium Falconem exstant plures Plinii Epistulæ. Ad hunc quoque Falconem tradit Ulpianus Hadrianum Imp. scripsisse Epistulam de casibus infecti testamenti.

(3) Nota sunt exempla syntaxeos latinæ apud Gellium XV. 29. » Quia Tarquinium nomen esset. » Mihi nomen est Iulium ». Tum Livii I. 1. » Cui » Ascanium parentes dixere nomen». Haud scio quam bene torqueat hæc duo posteriora exempla Vossius de Gramm. VII. 34. dicens, *Iulium* et *Ascanium* esse adiectiva recti casus. Servius quidem ad Æneid. I. 267. scribit: » Dicimus et, mihi nomen est Ciceronem ». Licet exemplum, quod tibi addit, rem satis non probet. Hoc tamen M. Aurelii exemplum comparandum est cum Livii tantum loco. Videtur autem mihi idiotismus pro: *cuius ille nomen catachannam vocitabat.* Porro recurrit hoc nomen arboris in Fragmento I. Lib. II. de Orationibus.

catachannam * nominabat. Sed illa arbor mira et nova visa est mihi in uno trunco omnia omnium ferme germina . . . . .

. . . .

et meus me alipta (1) faucibus urgebat. Sed quae, inquis, fabula? Ut Pater meus a vineis domum se recepit, ego solito more equom inscendi, et in viam profectus sum, et paululum provectus. Deinde ibi in via sic oves conglobatæ adstabant, ut locus solitarius, et canes quattuor, et duo pastores: sed nihil praeterea. Tum pastor unus ad alterum pastorem, postquam plusculos equites vidit; vide tibi istos equites, inquit, nam illi solent maximas rapinationes (2) facere.

* *In margine*: Arbor catachanna.

(1) Alipta *servus balnearius*, et vide finem Epistulæ.

(2) *Rapinatores* pro *raptores* legitur apud Nonium ex Varrone et Lucilio. Habes iam ex M. Aurelio *rapinationes*.

Ubi id audivi calcar equo (1) subringo, ecum (2) in ovis inigo: oves consternatæ disperguntur, aliæ alibi palantes balantesque oberrant. Pastor furcam intorquet; furca in equitem, qui me sectabatur, cadit. Nos aufugimus. Eo pacto qui metuebat ne oves amitteret, furcam perdidit. Fabulam existimas? res vera est. At etiam plura erant quæ de ea re scriberem, nisi iam me nuntius in balneum arcesseret. Vale mi Magister dulcissime, homo honestissime et rarissime, suavitas et caritas et voluptas mea.

---

(1) Ita prorsus in Codice.

(2) *Ecum* pro *equum*. Sic alibi *cottidie*, *cottidianus*, *obsecuntur*. Recole Notam 3. ad Supplem. Orationis Tullii *pro Flacco* p. 33.

VIII. MAGISTRO SUO

PROFECTO ista tua benignitate magnum mihi negotium peperisti. Nam illa tua cottidie in Lorium (1) ventio, illa in serum expectatio . . . . . .

IX. » AMPLISSIMO CONSULI
» MAGISTRO SUO ·M· CÆSAR SALUTEM »(2)

. . . . . adfinitate sociatum, neque tutelæ subditum: præterea in ea fortuna constitutum, in qua ut ·Q· Ennius ait: OMNES DANT CONSILIUM VANUM. Item quod Plautus egregie in COLACE (3) super eadem re ait:

(1) Lorium villa, in qua Antoninus Pius e vita excessit. V Capitol. in eius vita p. 31. C. Sita fuit ad duodecimum ab Urbe lapidem, ut videre est in Antonini Itinerario p. 290, et in Eutropii Breviario Lib. VIII. ubi de Pii morte.

(2) Supplevi inscriptionem ex Epistula VII. huius Libri.

(3) Comœdia Plauti deperdita.

QUI DATA FIDE FIRMATA FIDENTEM FEFELLERINT,
SUBDOLI SUBSENTATORES REGI QUI SUNT PROXIMI,
QUI ALITER REGI DICTIS DICUNT, ALITER IN ANIMO HABENT.

Hæc enim olim incommoda regibus solis fieri solebant. At nunc adfatim sunt qui et regum filiis, ut Nevius ait: FAVEANT ATQUE ADNUTENT ET SUBSERVIANT. Merito ego, mi Magister, fraglo (1), merito unum meum σκοπὸν mihi constitui, merito unum hominem cogito, quom stilus in manus venit. Hexametros meos iucundissime petis, quos ego quoque confestim misissem, si illos mecum haberem. Nam librarius meus, quem tu nosti, Anicetum dico, cum proficiscerer, nihil meorum scriptorum mecum misit. Scit enim morbum meum, et timuit, ne

(1) Nempe amore Frontonis, et vide Epistulas VII. VIII. X. Lib. I. ad Marcum.

si venissent in potestatem, quod soleo facerem, et in furnum dimitterem. Sane istis hexametris prope nullum periculum erat. Ut enim verum fatear meo Magistro, amo illos. Ego istic noctibus studeo, nam interdiu in theatro consumitur (1). Itaque minus ago vespere fatigatus, luce dormitans (2). Feci tamen mihi per hos dies Excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis. Sed cum leges sexaginta inibi sint et Novianæ (3) et Atellaniolæ et Scipionis oratiunculæ (4) ne tu numerum nimis expavescas. Polemonis tui

(1) Capitolinus in *Marco* p. 34. C. ait : » Fuit » autem (Marcus) ea vitæ indulgentia, ut cogeretur nonnunquam vel in theatrum descendere, » vel spectaculis interesse ».

(2) Hæc verba *vespere fatigatus*, *luce dormitans* citat etiam Charisius ex Aurelio Cæsare ad Frontonem II. V. in Putschio p. 198. v. 4.

(3) Novius dicitur a Macrobio Saturnal. I. 10. probatissimus Atellanarum scriptor. Sed Marcus distinguit hic aperte Novianas ab Atellanis. Floruit autem Novius prope Sullana tempora.

(4) Recole dicta ad Epist. X. Libri ad Pium p. 26. n. 1.

quoniam (1) meministi, rogo ne Horatii memineris, qui mihi cum Polione est emortuus (2). Vale mi amicissime, vale mi amantissime, Consul amplissime, Magister dulcissime, quem ego biennio iam non vidi. Nam quod aiunt quidam duos menses (3) interfuisse tantum, dies numerant (4). Erit ne quom te videbo?

---

(1) Cod. *quem*.

(2) De *Horatio et Polione* recole dicta ad Epist. IX. Libri ad Pium p. 20. n. 4.

(3) Fronto fuit consul suffectus bimestris, ut iam diximus. Eo tempore is abfuit a M. Aurelio qui Neapoli versabatur. Recole Epist. II. et III. huius Libri.

(4) Sententia complebitur si addas: „ Ego autem „ annum censeo unumquemque mensem quo a te „ absum ".



L. VERVS IMP.

EX MARMORE MVSEI BVRGHESII

·M· FRONTONIS
EPISTULARUM
AD VERUM IMPERATOREM
AURELIUM CÆSAREM

LIBER I.

I. Domino meo Vero Augusto

Quamquam me diu cum ista valetudine vivere iampridem pigeat tædeatque, tamen ubi te tanta gloria per virtutem parta reducem (1) videro, neque incassum vixero, neque invitus quantum

---

(1) Ad L. Verum e Parthica expeditione redeuntem scriptam apparet hanc Epistulam a Frontone: nam et in Codice ea consequitur L. Veri Epistulam ex Asia, ut videtur scriptam, quam nos fecimus secundam Libri alterius ad Verum. Ad L. Veri reditum pertinent nummi plures L. VERI AUGUSTI ARMENIACI PARTHICI MAXIMI cum FORTUNA REDUCE. V. Eckhelium Catalog. Musei Cæsar. Vindob. Part. II. p. 243-245. et nostrum Commentarium prævium Part. II. Cap. VI. p. XCI.

vitæ dabitur vivam. Vale Domine desiderantissime (1). Socrum (2) et liberos vestros (3) saluta.

II. MAGISTRO MEO (4)

QUID ni ego gaudium tuum mihi repræsentaverim, mi Magister carissime? Equidem videre me et arte (5) complecti et multum exosculari cotidie videor mihi toto . . . . . .

---

(1) Sic *desiderantissime* etiam in Epist. IX. huius Libri, et IX. Libri ad Pium, ubi incaute in aliquot exemplaribus excusum est *desiderandissime*. V. ad hoc vocabulum Forcellinum.

(2) Dicit Faustinam minorem Marci uxorem, cuius filiam Lucillam Verus habebat in matrimonio.

(3) Liberos de Lucilla suscepisse Verum nondum aperte Scriptores prodiderant. Id tantum ex nummis Lucillæ inscriptis FECUNDITAS et IUNONI LUCINÆ (apud Eckhelium Opere superius citato p. 246. itemque apud nostrum Comment. præv. p. XCV.) coniiciebatur. Veri tamen et Lucillæ filiam incerti nominis profert Eckhelius (Doctr. Num. Vet. Tom. VII. p. 98-99.) de qua vide Dionem LXXII. 4.

(4) Etiam L. Veri magister fuit Fronto, ut patet ex Capitolino in *Vero* p. 52. A. et ex Inscriptione, quam nos exhibemus ad Epist. I. de Nepote amisso p. 200.

(5) Ita Cod. pro *arcte*. Sic *artior* et *artius* alibi, quæ est scriptura sollemnis in antiquis codicibus.

III. MAGISTRO MEO

Est quod tecum graviter conquerar, mi Magister, et quidem uti querellam (1) dolor superet, quod ego te tanto post intervallo nec complexus neque adfatus sim; cum et in Palatium veneris, et postquam a Domino meo Fratre vixdum discesseram. Equidem multum Fratrem meum obiurgavi, cur me non revocavit. Neque culpam abnuere ausus est. Quantum, oro te, fuit ante mihi significare te ad Fratrem meum *ad*esse, velle me quoque visere, postremo redire me iubere, uti confabularemur? Quid enim? si me hodie domum arcessas, nonne omnibus omissis lubens curram? Qui quidem ægerrime tulerim, quod non

(1) Ita Cod. *querellam*, et vide dicta a nobis ad Orat. pro Scauro p. 5, n. 4.

cotidie (1) ad te commeem. Quin gravissimum stationis nostræ id esse arbitrer, quod veniendi ad te adeo . . . solus . . . . ad te currissem (2). Nunc oro saltem dum mi . . . conte . . . quom . . . tument quin te . . . exter . . . lis expectem. Vale, mi Magister, Vero tuo carissime et humanissime.

IV. Domino meo Vero Augusto

Quod heri cum in Palatium vestri visendi causa venissem, non (te vise) rim, non mea culpa evenisse ostendam

(1) Ne miretur Lector in nostro Libro modo *cottidie* excusum modo *cotidie*: ita enim Codex habet, idque de multis eiusmodi dictum esto.

(2) Ita Cod. pro *cucurrissem*. Et quidem præteritum *curristi* habet Tertullianus (de Fuga in persecut. cap. XII.) in Editionibus , quas vidi , Parisiacis ann. MDLXXX. MDXCVIII. MDCXVI. MDCXXXIV. et Franekeriana MDCXCVII. Quamvis in Parisiaca MDCLXXV. et Veneta MDCCXLIV. substitutum sit *cucurri*. Ceterum *currissem* addi iam potest auctoritati Tertulliani in Forcellini Lexico.

paulo post. Quod *si* libens *et* scienti animo *hoc officium* non persolvissem, tamen haudquaquam me pæniteret. Fuit (enim) fuit (hæc) *causa quamobrem tu tam* familiaribus litteris mecum expostulares. Neque tanto opere gauderem, si cum ad te venissem, summo cum honore ad te appellatus essem, quam nunc gaudeo tanto me iurgio desideratum. Namque tu pro tua singulari humanitate omnes nostri ordinis viros, ubi præsto adsunt, honorifice adfaris, non omnes magno opere requiris absentes. Hæc denique (cau)sa est, in qua malim te mihi graviter irasci, quam libenter ignoscere. Irasceris enim quanto desiderantius desideras: *iniuriam autem condona*bis, si amare desieris. Enimvero cum tu tuusque Frater in tantis opibus locati, tanta multitudine omnium generum omniumque ordinum, in quos amorem vestrum dispergitis circumfusum, mihi quoque partem amoris vestri impertiatis; quid me

facere oportet, cuius spes opesque omnes in vobis sunt solis sitæ? Non ei tum pectus meum . . . . . quid . . . . . aut ubi . . . . præstare possim, quam ut vos illis anteponam. Sic enim profecto merebor, ut vos quoque illos mihi anteponatis. Sed ne diutius defensionem meam differam, nulla, ut dixi, mea culpa accidit, ut te non convenirem. Nam ex hortis ego redii Romam ante diem quintum kal. Aprilis diluculo, ut . . . . si possem te longo post tempore con*venirem.* Sed eo (rem) . . . . est . . . . ne in tanta . . . . pergerem . . . . ut facerem? satin salve ut percontarer? an ut amplecterer? an ut exoscularer? an ut confabularer? An ego quarto post mense lacrimas vestras (1) spectatum venirem?

---

(1) Quam calamitatem Augustorum innuat hoc loco Fronto, definire certo non licet. Ceterum suspicor hanc Epistulam scriptam eo tempore, quo fames, lues, et Marcomannici belli terror romanum imperium simul vexabant, de quibus videndus Capitolinus in *Marco* p. 40. C. D.

Quid igitur postero die feci? Non sum ausus neque Fratri tuo neque tibi scribere me ad vos esse venturum; sed ad libertum vestrum Charilam perscripsi his, si recte memini, verbis: *εἰ ἥμερον εἰ καιρόν ἐστιν ἀφικέσθαι με πρὸς αὐτοὺς, σύ μοι δήλωσον, ὡς ἂν εἶ ἔμφρων. κἀμοὶ ὤμοσεν, καὶ .... υ ....* ni ego in palatium ...

V. Vero Augusto Domino meo

Quanta et quam vetus familiaritas mihi intercedat cum Gavio Claro, meminisse te, Domine, arbitror. Ita sæpe de eo apud (1) te ex animi mei sententia sum fabulatus. Nec ab re esse puto, memorem te tamen admonere. A prima ætate sua me curavit Gavius Clarus familiariter, non modo iis officiis, quibus senator ætate et loco minor maiorem gradu atque natu senatorem probe colit ac promeretur; sed paulatim amicitia

(1) In Codice modo *apud* scribitur, modo *aput.* Nos constanter expressimus *apud.*

nostra eo processit, ut neque illum pigeret, neque me puderet ea illum obœdire (1) mihi, quæ clientes quæ liberti fideles ac laboriosi obsecuntur: nulla hoc aut mea insolentia aut illius adulatione; sed mutua caritas nostra et amor verus ademit utrique nostrum in officiis moderandis omnem detrectationem *. Quid ego memorem negotia in foro nostra minima maximaque ab eo curata aut domi? Quod si uspiam recte clausum aut opsignatum aut curatum aut confectum quid vellem, me uni huic mandasse et concredidisse. Sed quod alumnus meus ægre toleraret, valetudini meæ curandæ ita semper studuit, tantam

* *In margine*: Mutua caritas nostra et amor verus ademit utrique nostrum in officiis moderandis insolentiam et adulationem.

(1) Ita Cod. *obœdire*, quod etiam in Mss. Plautinis Pers. 2. 4. 2. et 3. 1. 50. observavit Pareus. Et quidem hoc verbum cum accusativo vide apud Apuleium Metam. Lib. X.

omni tempore etiam operam dedit, ut excubaret etiam ægro mihi. Et ubi meis ego uti manibus per valetudinem non possem (1), manu sua cibos ad os meum adferret. Postremo, siquid humanitus absente Victorino (2) et Domino Fratre meo (3), mihi accidisset, huic iusta corpori meo curanda mandavi. Præsentibus etiam illis, ab hoc potissimum corpus meum contrectari volui, quo minus doloris ad Fratrem et Generum meum ex contactu corporis mei perveniret. Hæc mihi cum Gavio Claro iura sunt. Iam ego, si res familiaris mihi largior esset, nequid ad senatoris munia facile toleranda deesset, omni ope subvenirem. Neque .... ego huius negotii causa eum trans mare proficisci paterer. Nunc et nostræ res haud copiosæ, et huius

(1) Ad Epist. V. Libri ad Pium p. 12. n. 1. Frontonem arthriticum diximus ex Artemidoro.

(2) Nempe Genero, ut statim infra.

(3) Recole Epist. II. Lib. II. ad Marcum n. 1.

paupertas artior me compulerunt ut eum invitum expellerem in Suriam (1) ad legata, quæ ei in testamento hominis amicissimi obvenerunt persequenda. Quæ paupertas Claro meo nulla ipsius culpa optigit. Sed neque paterna ulla, neque materna bona fruenda percepit: eaque fine heres patri fuit, ut creditoribus paternis ægre satisfaceret. Ceterum parsimonia et officiis et frugalitate onera quæstoria, ædilicia et prætoria perfunctus est. Et (2) quidem per apsentiam eius Divus Pater vester sumptum præturæ de fisco vestro cum expendisset (3); ubi primum in Urbem Clarus reconciliata sibi valetudine venit, omne fisco vestro

(1) Hinc colligas, hanc Epistulam scriptam esse a Frontone quum L. Verus expeditionis Parthicæ causa versaretur in Syria.

(2) Codex pro *et* videtur habere *cum*.

(3) Mos is fuit Antonini Pii, uti testatur Capitolinus in eius vita p. 29. A. » Ita ut et magistra- » tus adiuvaret, et senatores Urbis ad functio- » nes suas ».

persolvit. Nihil isto homine officiosius est, nihil modestius, nihil verecundius. Liberalis etiam, siquid mihi credis, et in tanta tenuitate, quantum res patitur, largus. Simplicitas, castitas, veritas, fides romana plane: φιλοστοργία vero nescio an romana; quippe qui nihil minus in tota mea vita Romæ repperi, quam hominem sincere φιλόστοργον. Ut putem, quia reapse nemo sit Romæ φιλόστοργος, ne nomen quidem huic virtuti esse romanum (1). Hunc tibi, Domine, quantis possum precibus commendo. Si umquam me amasti, sive amaturus umquam es, hunc a me fidei tuæ atque opi traditum tuearis. Quæres fortasse quid pro eo . . . .

VI. Domino meo Vero Augusto

Iam iam, Imperator, esto erga me ut voles, utque tuus animus feret. Vel tu me neglegito, vel etiam spernito: nihil denique honoris inpertito, *in* postremis, si videbitur habeto. Nihil est ita durum aut ita

(1) Confer Epist. II. Lib. I. ad Amicos.

iniurium, quod... facere adversum... vestræ pro re nata occu*pationes*... desideretur is honor. Quo pariter quisque expetit, siquid honoris aliis impertitum videat. Probasti me, laudastique consilium: neque tamen triduo amplius vel quattriduo id a te optinere potuisti, ut mihi verbo salutem responderes, sed ita excogitasti. Primum me intromitti in cubiculum iubebas, ita sine cuiusquam invidia osculum dabas. Credo ita cum animo reputans: mihi, cui curam cultumque tradidisses oris atque orationis tuæ, ius (quo)que osculi habendum: omnisque eloquenti(æ) magistros sui (lege) fructum cap(ere saltem) in vocis aditu locatum (1). Morem denique saviandi arbitror honori eloquentiæ datum. Nam cur os potius salutantes ori admovemus, quam oculos oculis, aut frontes frontibus, aut, quibus plurimum valemus, manus manibus? nisi quod honorem orationi impertimus. Muta denique animalia

(1) Cod. *locato*.

oratione carentia, etiam osculis carent. Hunc ego honorem mihi a te habitum (reor) maximo et gravissimo pondere. Plurima præterea tua summo cum meo honore et dicta et facta sensi. Quotiens tu me manibus tuis sustinuisti, adlevasti ægre adsurgentem, aut difficile progredientem per valetudinem corporis pæne portasti? Quam hilari vultu semper et placatissimo nos adfatus es? quam libenter consevisti sermonem? quam invitus terminasti (1)? quæ ego pro maximis duco. Sicut in extis diffisa plerumque minima et tenuissima maximas significant prosperitates. Ut formicularum et apicularum ostentis res maximæ portenduntur; ita vel minimis et levissimis ab uno et Vero (2) principe habitis officii et bonæ

(1) Capitolinus in *Vero* p. 52. A. postquam huius Principis Magistros, quos inter Frontonem, enumeravit, hæc addit: „Hos omnes amavit (Verus) „ unice, atque ab his invicem dilectus est„.

(2) Quum scribat ad Verum, videtur hoc loco Fronto uti duplici sensu huius vocabuli *Vero*.

volentiæ (1) signis significari arbitror ea, quæ amplissima inter homines et optatissima sunt, amor honorque. Igitur quæcumque a Domino (meo) tuo Fratre petenda fuerunt, per te petita atque impetrata omnia malui.

VII. DOMINO MEO VERO AUGUSTO

FATIGATUM me valetudine diutina et præter solitum gravi, ac gravissimis etiam luctibus pæne continuis adflictum; nam in paucissimis mensibus et Uxorem carissimam (2) et Nepotem (3) trimulum amisi; *ex hisce* me malis recreatum tamen aliquantum fateor, quod te meminisse nostri, et quædam nostra desiderasse cognovi. Misi igitur quæ Dominus

(1) In margine, ubi hæc repetuntur, scribitur *benivolentiæ*.

(2) *Gratiam*, de qua vide Epist. III. Lib. II. ad Marcum.

(3) De hoc vide Librum Frontonis de Nepote amisso.

meus Frater tuus litteris tuis admonitus mittenda censuit. Adiunxi præterea Orationem pro Demonstrato (1), quam cum Fratri tuo primum optuli, didici ex eo Asclepiodotum, qui Oratione ista compelletur a te non inprobari. Quod ego ubi comperi, curavi equidem abolere Orationem: sed iam pervaserat in manus plurium, quam ut aboleri posset. Quid igitur? quid inquam? *Nisi* Asclepiodotum, cum a te probetur, mihi quoque fieri amicissimum tam hercule, quam est Herodes summus nunc meus, quamquam extet Oratio. Egit præterea mecum Frater tuus inpense, quod ego multo inpensius adgredi cupio, et ubi primum commentarium (2) miseris, adgrediar ex summis voluntatis opibus: nam de facultate tute videbis, qui me idoneum censuisti.

(1) Recole Epist. IV. Lib. I. ad Marcum.

(2) Dicit commentarium de rebus Parthicis a L. Vero gestis. De hoc commentario loquitur ipse L. Verus (Epist. II. Lib. II. ad V.). Ex eo scilicet Fronto instructurus erat Historiam belli Parthici, quod ipse aperte confirmat in Fragm. VII. Operis *Principia Hist.* p. 359.

VIII. MAGISTRO MEO

CERTUM esse te, mi Magister carissime, etiamsi reticeam, nihil dubito, quantæ mihi acerbitatis sit tua omnis vel minima tristitia. Enimvero cum et Uxorem per tot annos caram et Nepotem dulcissimum pæne simul amiseris maxi ... Magistrum doctis dictis consolari audeam...tuam enim... tum ... delibera ... Nunc ad reliqua litterarum tuarum convertar. Delectatus . . . veri. Quid (or)as mi Magister? ... nisi qui a me munus, aut no ... mus defendisset, qua si deficis... quid ... aliud ego doctior quidquam aut expeto, aut somnio . . . . nostro, Calpurnium dico, contentio est: quem ego facile et omnibus spectantibus, et te, si spectaveris, teste revincam, Pyladem (1) magistro suo istum tanto

(1) Plures hoc nomine celeberrimi fuerunt histriones. Theocriti Augg. Lib. *Pyladis* Pantomimi exstat inscriptio Mediolani in ædibus Bibliothecæ Ambrosianæ cum figuris, quas paulo immutatas edidit Gruterus. De *Pylade* sub Octaviano vide Sveton. Cap. 45. De altero, quem Traianus amavit,

meliorem esse, quanto sit Apolausto (1)

---

vide Dionem LXVIII. 10. Denique de tertio sub Divis Fratribus fortasse agitur in Inscriptione apud Gruterum CCCXXXI. 1.

P. ÆLIUS. AUG. LIB. PYLADES. PANTOMIMUS HIERONICA. INSTITUIT. L. AURELIUS. AUGG LIB. PYLADES. HIERONICA. DISCIPULUS. CONSUMMAVIT.

Revera loquitur Verus in hac Epistula de *Pylade* eiusque magistro. Sed vide et lapidem mediolanensem apud Gruterum MXXIV. 5. et Salmasium ad Vopisci Carinum p. 499. Immo *Pylades* fuit cognomen plurimorum histrionum de Pyladis schola. Quare Seneca Quæst. Natur. Lib. VII. 32. ait: » Stat » per successores *Pyladis* et Bathylli domus: harum » artium multi discipuli sunt, multique doctores ». Consule et Bulengerum *de theatro* Lib. I. Cap. 51.

(1) Capitolinus in *Vero* ait: » Habuit (Verus) et Agrippum histrionem, cui cognomentum erat Memphi, » quem et ipsum e Syria veluti trophæum Parthicum » adduxerat, quem Apolaustum nominavit ». Hic sub Commodo imp. occisus est. Athenæus etiam Lib I. p. 20. ait, sua memoria exstitisse Memphim saltatorem: qui sine dubio est Apolaustus L. Veri. Immo de hoc loquitur Inscriptio apud Gruterum CCCXIII. 8.

L. AURELIO. APOLAUSTO. MEMPHIO
AUGG. LIB. HIERONICÆ. CORONATO etc.

quæ Inscriptio in loco citato Gruteri ad alium hominem (nescio quo iure) detorquetur, secus ac censuit Casaubonus. Et notemus, L Aurelium Verum Imperatorem sua ipsius nomina indidisse tum Apolausto, tum, ut vidimus in alia

similior. Sed quod sine ioco (1) dicatur, iube Valerium istum Antonium dare mihi libellum, uti rescriptione quoque nostrâ gratia sententiæ nostræ fiat. Epistulam tuam summa cum voluptate, et solita cum admiratione legi. Vale, mi Magister, Vero tuo dulcissime et carissime.

IX. » Verus Frontoni » (2)

...... deatur. Polemona (3) ante hoc triduum declamantem audivimus, ἵνα τι

Inscriptione paulo superius allata, etiam Pyladi. Nimirum Verus hoc hominum genere mirifice delectabatur. Quare ait Capitolinus in eius vita p. 56. B. » Adduxerat secum (Romam Verus) et fidicinas » et tibicines et histriones, scurrasque mimarios » et præstigiatores, et omnia mancipiorum genera, » quorum Syria et Alexandria pascitur voluptate, » prorsus ut videretur bellum non Parthicum sed » histrionicum confecisse ».

(1) Cod. *loco*.

(2) Supplevi inscriptionem, quum sit acephala in Codice hæc Epistula. Patet tamen ex clausula scriptam a Vero ad Frontonem, et quidem eo anno quo Fronto consulatum gerebat, quo tempore nondum Verus adeptus imperium fuerat.

(3) Polemon e Laodicea Cariæ celeberrimus fuit rhetor sub Impp. Hadriano et Pio. Polemonis vita

καὶ περὶ ἀνθρώπων λαλήσωμεν. Si quæris quid visus sit mihi, accipe*. Videtur mihi agricola strenuus summa sollertia præditus latum fundum in sola segete frumenti et vitibus occupasse, ubi sane et fructus pulcherrimus et redditus uberrimus. Sed enim nusquam in eo rure ficus pompeiana, vel holus aricinum, vel rosa tarentina, vel nemus amœnum, vel densus lucus, vel

* *In margine*: Laus eloquentiæ solidæ cui desunt flores, ubi latus fundus in sola segete frumenti et vitibus occupatur.

exstat apud Philostratum de Vit. Sophist. Lib. I. 25., quam qui leget, probe cognoscet, quam graphice recteque eum hoc loco Verus depingat. Herodes Atticus interrogatus a M. Aurelio qualis ei videretur Polemon, respondit:

ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει (Iliad. κ. 535.)

Aures sonipedum strepitus mihi tundit equorum.

Genere quippe dicendi utebatur Polemon vehementissimo et grandi: quod ideo mirabilius erat, quia sæpe dicebat ex tempore. Ex tot Polemonis sermonibus duo tantum supersunt ab H. Stephano primum editi: in quibus ego quidem et argumentorum acumen, et figurarum splendorem, et affectuum vehementiam magnopere suspicio.

platanus umbrosa. Omnia ad usum magis quam ad voluptatem, quæque magis laudare oporteat, amare non libeat. Satis ne ego audaci consilio et iudicio temerario videar, cum de tantæ gloriæ Viro existimo (1)? Sed quom me recordor tibi scribere, minus me audere, quam tu velis, arbitror (2). Nos istic vehementer æstuamus. Habes et hendecasyllabum (3) ingenuum. Igitur priusquam poetare incipio, pausam tecum facio. Vale desiderantissime (4) homo, et

(1) Cum L. Vero, qui Polemonem comparat agricolæ strenuo consentit fere Dionysius Milesius sophista qui apud Philostratum (in huius vita Cap. 4.) comparat eumdem Polemonem athletæ robur naturale habenti, sed non a palæstra.

(2) Videtur Verus innuere Frontonis æmulationem quamdam aut etiam acerbitatem adversus Polemonem, quæ reapse ex Epistula I. Libri I. ad Marcum non ambigue apparet. Certe Polemon, vir superbus et acer, cum Favorino philosopho et sophista Frontonis familiari (V. Gell. II. 26.) graves exercuit simultates, ita ut famosis etiam orationibus se mutuo proscidetint, ut narrat Philostratus in *Favorino* Cap. 3.

(3) Poeticorum Veri studiorum meminit Capitolinus in huius vita p. 52. A. » Amavit autem (Verus) in pueritia versus facere ».

(4) Recole Epist. I. huius Libri p. 84. n. 1.

tuo Vero carissime, Consul amplissime, Magister dulcissime. Vale mi semper anima dulcissima.

X. » VERO FRONTO » (1)

.... percontatum an videre me posset; postquam respondi posse, succidaneum sibi Tranquillum (2) nostrum paravit, quem etiam cænæ (3) succidaneum paraverat. Mea parum refert, quis me de caris tibi amicis diligat, nisi quod prior (Pom)peius, qui minus est nostri fastidiosus. Ego ... dem... ver... cerem (nimisque). Sed hic ex tempore eum vidi. Invenit autem me Tranquillus cum frigeret. Etiam nunc..... vetantem, sed

(1) Supplevi inscriptionem ex coniectura.

(2) Fortasse dicit Fronto Tranquillum Svetonium. Svetonius quidem floruit in aula Hadriani qui patrem L. Veri Ælium Verum adoptavit. Itaque mirum non est Frontonem scribere ad L. Verum de Tranquillo Svetonio.

(3) Ita cænæ cum æ priore, non sine aliis antiquis exemplis.

minus . . . ago quanta Tranquilli industriæ: qui nisi sciret quanto opere me diligeres, volumtarium hoc negotium sibi numquam expetisset (1).

---

(1) Post hanc Epistulam scribitur in media Codicis pagina: AD VERUM. Tum sequitur statim: ·M· FRONTONIS AD VERUM IMP. AURELIUM CÆSAREM. Ergo in eadem pagina desinit Liber I. et incipit II. ad Verum. Sed notæ Librorum vix aut ne vix quidem in obliterata pagina apparent. Sæpe tamen in hoc Codice inscriptiones tum desinentis Libri tum alterius incipientis coniunctim scribuntur.

·M· FRONTONIS

EPISTULARUM
AD VERUM IMPERATOREM
AURELIUM CÆSAREM

LIBER II.

I. » Verus Cæsar Frontoni » (1)

. . . . . *necessar*io correcta, vel in tempore provisa, vel celeriter curata, vel sedulo instructa, prædicare ipsa apud te supersedi. Da verecundiæ veniam, si urgentibus curis præpeditus negotia inanibus (2) præversus sum: speque tuæ

(1) Supplevi inscriptionem. Scripta est hæc Epistula ad Frontonem a Vero absente in Parthica, ut puto, expeditione. Videtur autem responsio ad Epistulam Frontonis sextam Libri I. qua hic Verum compellaverat, quod sibi antea non scripsisset.

(2) Cod. *negotia in manibus*, cuius emendatio expeditissima est *negotia inanibus*. Id si cui videatur minus officiose scribi a Vero ad Magistrum, licebit paulo liberius emendare *negotiis immanibus*, sensu loci nonnihil immutato.

erga me benignissimæ facilitatis interim in scribendo cessavi. Fiduciæ amoris ignoscito, si piguit consilia me singularum rerum forsitan in dies mutanda sub incerto adhuc exitu dubia existimatione perscribere. Causam quæso tam iustæ cunctationis accipias. Cur igitur aliis quam tibi sæpius? Ut breviter absolvam; quoniam quidem, nisi ita facerem, illi irascerentur, tu ignosceres: illi tacerent, tu flagitares: illis officium officio repensabam, tibi amorem pro amore debeam (1). An velles ad te quoque me litteras invitum querentem festinantem, quia necesse erat, potius quam quia libebat, darem? Cur autem, inquies, non libebat? Quia neque dum quicquam eiusmodi effectum erat, ut te luberet ad gaudii societatem vocare. Curarum vero, quæ me dies noctesque miserrimum habuere, et prope desperationem summæ

(1) Ita Cod. *debeam*, et bene.

rei perduxere (1), facere participem hominem carissimum et quem semper lætum esse cuperem, fateor non lubebat. Nec enim illud lubebat aliud dolere aliud loqui. Simulare Lucium quicquam adversum Frontonem, a quo ego prius multo simplicitatem (2), verumque amorem, quam

(1) Bene, ut par est, de se loquitur Verus, neque culpam cæsi a Parthis romani exercitus in se confert. Ceterum Capitolinus gravius de Vero imperatore fert iudicium in eius vita p. 54. D. » Multa in eius vita ignava et sordida, etiam belli » tempore, deteguntur. Nam quum interfecto legato, » cæsis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus, » Oriens vastaretur, ille in Apulia venabatur; et » apud Corinthum et Athenas inter symphonias, » et cantica navigabat: et per singulas maritimas » civitates Asiæ, Pamphyliæ Ciliciæque clariores, » voluptatibus immorabatur. Antiochiam postea» quam venit, ipse quidem se luxuriæ dedit ».

(2) Veri candidam simplicitatem testatur etiam Capitolinus in eius vita p. 51. C. » Erat (Verus) » morum simplicium, et qui adumbrare nihil pos» set ». Tum p. 52. D. » Amavit Antonius Pius (in » Vero) simplicitatem ingenii, puritatemque vi» vendi ». Et in Marci vita p. 50. C. dicitur: » Marco » datum vitio quod et fictus fuisset, nec tam sim» plex quam videretur, aut quam vel Pius vel Ve» rus fuisset ». Notat tamen idem Capitolinus p. 42.

loquendi polite disciplinam didicisse me prædico? Equidem pacto quoque, quod inter nos iampridem intercessit, satis me ad veniam impetrandam paratum esse arbitror. Denique quamquam mihi, lacessitus a me sæpius, numquam rescripsisses, dolebam hercules, sed pacti (1) memoria non suscensebam (2). Postremo quid plura? Ne potius defendere me, quam orare te videar; peccavi, fateor; adversus quem minime decuit, id quoque fateor; sed tu melior esto. Satis pœnarum lui, primum in eo ipso, quod peccasse me sentio: mox quod tantis terris disiunctus qui te in vestigio exorare potuissem, tot interea mensibus,

---

C. » Verum ingenito vitio laborasse simulandæ callidæ severitatis ». Quod ille severissimi Marci gravitatem imitandi causa fecisse videtur: hinc et barbam alebat prope barbarice demissam, et fronte in supercilia adductiore fiebat venerabilis (V. Capitol. in *Vero* p. 57. C.). Quare a D. Iustino Martyre in exordio Apologiæ I. etiam Lucius vocatur *philosophus*.

(1) Cod. *facti*, sed emendandum fuit *pacti* ex superioribus.

(2) Ita Cod. pro *succensebam*.

dum meas litteras accipis, dum ego tuas recipio, cura discruciabor. Adhibeo tibi deprecatores humanitatem ipsam: nam et delinquere humanum est, et hominis maxime proprium ignoscere . . . . .

II. » VERUS IMPERATOR FRONTONI » (1)

. . . . . illi suis litteris subdiderunt. Ea vero quæ post meam profectionem gesta sunt, ex litteris a me scribtis, a negotio cuique præpositis Ducibus cognosces. Earum exemplaria Sallustius noster nunc Fulvianus (2) dabit. Ego vero ut et consiliorum meorum rationes commemorare possis, meas quoque litteras, quibus quidquid gerendum esset demonstratur,

(1) Supplevi inscriptionem. Verus in hac Epistula agit cum Frontone de Historia belli Parthici quam hic scribendam susceperat. Sub finem Epistulæ VII. Libri I. ad Verum ait Fronto, Marcum secum egisse ut illud Opus adgrederetur, quod se aggressurum spondet ubi Verus Commentarium miserit. Reapse nunc Verus et materiam scribendi suppeditat, et modum etiam modeste demonstrat, quo sibi placeret eam Historiam concinnari.

(2) Ad Fulvianum scripta est Epistula XX. Libri I. ad Amicos.

mittam tibi. Quod si picturas quoque quasdam desideraveris, poteris a Fulviano accipere. Equidem quo magis te quasi in rem præsentem inducerem, mandavi Cassio Avidio, Martioque Vero (1) commentarios quosdam mihi facerent, quos tibi mittam, ex quibus mores hominum et censum eorum cognosces. Quod si me quoque voles aliquem commentarium facere, designa mihi qualem velis faciam, et ut iubes faciam. Quidvis enim subire paratus sum, dum a te res nostræ inlustrentur (2). Plane non contempseris

(1) De his scribit Capitolinus in *Vero* p. 55. A. » Bellum Parthicum duces confecerunt Statius Priscus et Avidius Cassius, et Martius Verus quadriennium, ita ut Babylonem et Mediam pervenirent, et Armeniam vendicarent: partumque est ipsi (Vero) nomen Armeniaci Parthici Medici ».

(2) Omnino Verus hac Epistula imitatus videtur Ciceronis Epistulam ad Lucceium (Lib. V. ad Fam. 12.). Sic enim et ille præstantem Historicum rogat, ut de rebus suis in consulatu gestis quamprimum scribat: » Ardeo cupiditate incredibili nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis .... Si suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium ».

et orationes ad senatum (1), et adlocutiones nostras ad exercitum (2). Mittam tibi et sermones meos cum barbaris habitos (3). Multum hæc tibi conferent. Unam rem volo non quidem demonstrare discipulus Magistro, sed existimandam dare. Circa

---

(1) L. Veri orationes commemorat Capitolinus in eius vita p. 52. A. quo loco etiam duplici eumdem calumnia, ut nobis quidem videtur, onerat. Nam neque bonum oratorem fuisse censet; et ea ipsa, qualiacumque sunt, quæ scripsit, Amicorum potius, a quibus adiuvabatur, ingenio tribuenda esse suspicatur. Nos autem in Commentario prævio Part. II. Cap. VI. p. LXXX-LXXXIV. pluribus argumentis L. Verum ab utroque crimine purgare connisi sumus.

(2) Veri adlocutiones ad exercitum testatur etiam nummus editus in Catolog. Mus Cæsar. Vindob. P. II. » p. 242. IMP. CÆS. L. AUREL. AUG. TR. P. III. COS. » II. Caput laureatum. ADLOCUTIO ». Eumdem nummum vidi ipse in regio Museo Mediolanensi. Recole Commentarium nostrum prævium p. LXXXVII. Porro Tribunitia potestas III. Veri incidit in annum belli Parthici secundum (V. Eckhelium Doctr. Num. vet. Tom. VII. p. 90.). Ergo is Nummus exprimit adlocutionem militarem Veri in ipsa Parthica expeditione; ergo aliquam ex iis, quarum meminit Verus in hac Epistula.

(3) Præter sermones, litteræ etiam L. Veri ad barbaros commemorantur in Fragmento IV. Operis *Principia Historiæ* p. 347. Utrique autem loco mirifice

causas et initia belli diu commoraberis, et etiam ea quæ nobis absentibus male gesta sunt. Tarde ad nostra venies. Porro necessarium puto, quanto ante meum adventum superiores Parthi fuerint dilucere, ut quantum nos egerimus appareat. An igitur debeas quomodo Πεντηκονταετίαν Θουκυδίδης exposuit (1), illa omnia corripere, an vero paulo altius dicere, nec tamen ita ut mox nostra

---

lucem affundit Nazarius in Paneg. Constantini Cap. 24. » Antoninus (*nempe L. Verus qui et Antoninus*) » imperator, in toga præstans et non iners nec futilis » bello, cum adversum Parthos armis experiretur, » visis cataphractis adeo totus in metum venit, ut » ultro ad Regem conciliatrices pacis literas daret: » quas cum Rex immodicus animi respuisset, inso- » lentia Barbari debellata est ». Ad quem locum Nazarii ita notavit Livineius: *Non recordor id in historicis legere. Itaque fides sit penes auctorem.* Nunc autem in Operibus Frontonianis res bellissime patet.

(1) Πεντηκονταετία in Thucydide est spatium quinquaginta annorum, quod excurrit a Xerxe fugato ad initium belli Peloponnesiaci. Ea describitur a Thucydide Lib. I. a n.° 89. ad Libri finem. Res eo tempore gestæ, quum extra propositum Thucydidis sint, summatim ab eo recensentur.

dispandere (1), ipse dispicies. In summa meæ res gestæ tantæ sunt, quantæ sunt scilicet, cuiquoimodi sunt: tantæ autem videbuntur, quantas tu eas videri voles (2).

III. » VERO AUGUSTO FRONTO » (3)

...... animi mei perturbatione non possem. Sed acceptis litteris tuis ea re iam primum bona spes mihi ostentata est, quod tua manu scripseras: deinde

(1) Ita Cod., Subintelligitur autem *debeas*.

(2) Permittit quidem Verus Frontoni ut res Parthicas pro libito amplificet; sed tamen verecundius id dicit, quam cum Cicero Lucceio gesta sua scribenda commendat his verbis: » Itaque te plane etiam » atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius » etiam, quam fortasse sentis, et in eo leges hi» storiæ negligas . . . amorique nostro plusculum » etiam, quam concedet veritas, largiare ».

(3) Scripta est hæc Epistula a Frontone quum Verus ægrotaret. Ex Epistula autem colligitur ea tunc infirmitate laborasse Verum, quam narrat Capitolinus in eius vita p. 54. C. » Profectum » (Verum) ad Parthicum bellum, Marcus Ca» puam prosequutus est. Quumque inde per om» nium villas se ingurgitaret, morbo implicitus, » apud Canusium ægrotabat, quo ad eum vi» sendum Frater contendit ». Et Marcum quidem

quod post apstinentiam tridui, et sanguinem satis strenue et prompte demissum, liberatum esse te periculo inpendentis valetudinis nuntiabas. Respiravi (1) igitur et revalui, et apud omnes foculos, aras, lucos sacros, arbores sacratas, nam rure agebam, supplicavi. Et nunc expecto cognoscere ex tuis litteris quantum medici isti dies promoverint ad vires reficiendas. Enimvero nunc maiore multo cura diligentiaque opus est, ut paulatim temet compleas, nec properes ad detrimenta virium resarcienda. Nam id quidem omnium opinione compertum et traditum est, sanguinem, ubi abundet, incursim detrahendum, postea pedetemptim esse reparandum. Fac, oro te

adfuisse Fratri ægrotanti, patet etiam ex clausula huius Epistulæ. Neque hic agitur de extremo Veri morbo apud Altinum. Nam postquam ibi apoplexi est correptus, mutus triduo superfuit: dicit autem hoc loco Fronto, se ab eo iam recreato litteras autographas accepisse.

(1) Cod. *respirabi*. Sic in Epist. sequente *adiubant* pro *adiuvant*, et in Epist. XII. Libri ad Pium *ubam* pro *uvam*.

et obsecro Domine, quod tuo egregio ingenio decet, temperes et reparcas et modificeris desideriis omnibus (1), quæ nunc acriora solito et procaciora existere necesse est post apstinentiam, qua necessario in tempore usus es. Fratrem Dominum saluta, quem salvum habebis, si tu salvus eris. Vale Domine dulcissime.

IV. » VERO AUGUSTO FRONTO » (2)

. . . . . . si maxime velis possis, quin ego ex te gaudiis amplissimis abundem. Virtutes tuas bellicas, et militaria facinora tua atque consulta me nunc laudare tu forsitan putes, ut est (3). Quibus ego

(1) Modestissime Verum Fronto ad temperantiam hortatur. Ceterum effusam Veri luxuriam in conviviis sæpe commemorat in eius vita Capitolinus.

(2) Supplevi inscriptionem: est enim sine dubio Epistula Frontonis ad Verum.

(3) Intelligit Fronto victoriam Parthicam, qua denique, post adversos romanorum casus, potitus est Verus seu potius Duces sub eo militantes. Aptum tamen rei militari Verum dicit Dio Lib. LXXI. I. Ὁ Λούκιος ἐῤῥωτό τε καὶ νεώτερος ἦν, τοῖς στρατιωτικοῖς τε ἔργοις καταλληλότερος: *Lucius et robustus erat, et iunior (Marco), tum etiam ad rem militarem aptior.*

rebus, tametsi sunt pulcherrimæ in rempublicam imperiumque populi romani optimæ amplissimæ, tam (1) iis ego rebus lætandis virilem cum ceteris portionem voluptatis capio. Ex eloquentia autem tua, quam scriptis ad senatum litteris (2) declarasti, ego iam hic triumpho. Recepi recepi habeoque, teneoque omnem abs te cumulatam parem gratiam: possum iam de vita læto animo excedere magno operæ meæ pretio percepto, magnoque monumento ad æternam gloriam relicto. Magistrum me tuum fuisse aut sciunt omnes homines, aut opinantur, aut vobis credunt. Quod equidem parcius mihimet adrogarem, nisi vos ultro prædicaretis. (Id) quoniam (vos prædicatis), ego nequeo negare. Bellicæ igitur tuæ laudis et

(1) Ita Cod. *tam* pro *tamen*, qui est archaismus. V. Festum.

(2) Intelligit litteras laureatas, quas attulit Romam Iunius Maximus tribunus, ut in Epist. VII. Lib. I. ad Amicos videre est. Has litteras memorat etiam Lucianus in Opere *Quomodo Historia sit conscribenda.* Cap. 20.

adoriæ (1) multos habes administros, multaque armatorum milia (2) undique gentium accita victoriam tibi adnituntur et adiuvant (3): eloquentia (vero), ausim dicere, meo ductu, Cæsar, meoque auspicio nata est . . . . . frustra sed ad . . . us fidei commemoratæ. Ceteros ars ac . . . das re . . . ac me . . . opes . . . quo . . . binos egenum . . . meminisse . . . His te consiliis, Imperator, a prima pueritia tua non circus profecto nec lorica, sed libri et litterarum disciplinæ inbuebant. Cum multa huiusmodi consiliosa exempla in historiis et in orationibus lectitares, ad rem militarem magistra eloquentia usus es. Exercitus tibi traditus erat incuria et lascivia et otio diutino corruptus (4). Milites Antiochiæ adsidue plaudere

(1) Ita Cod. *adoriæ* pro *adoreæ*. Et quidem *adoria* cum *i* est etiam apud Servium ad Æn. X. 677.

(2) *Milia* cum unâ *l*, ut sæpe in antiquis monumentis.

(3) Cod. *adiubant*.

(4) Exercitus Syriaci perditos mores narrat etiam Marcus imperator in Epistula quadam ad præfectum

histrionibus consueti: sæpius in nemore vicinæ ganeæ (1), quam sub signis habiti. Equi incuria horridi, equites volsi (2): raro brachium aut crus militum hersutum. Ad hoc, vestiti melius quam armati, adeo ut vir gravis et veteris disciplinæ Lælianus Pontius (3) loricas partim

---

suum, quam Vulcatius in vita Avidii Cassii profert p. 60. D. — 61. A. » Avidio Cassio legiones Syriacas » dedi, diffluentes luxuria, et Daphnicis moribus » agentes, quas totas excaldantes se reperisse Cæ» sonius Vectilianus scripsit ». Ibidem autem in responsione præfecti ad Marci Epistulam additur: » Ille (Cassius) sane omnes excaldationes, omnes » flores de capite collo et sinu militi excutiet ».

(1) Nempe in silva Daphne celeberrima prope Antiochiam Et quidem de L. Vero Capitolinus ait p. 55. A. » Egit autem per quadriennium Verus » hyemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnen, re» liquam partem Antiochiæ ».

(2) Nempe *vulsi* seu *molles*. Ita inferius *hersutum* pro *hirsutum*.

(3) Ex hoc loco Frontonis eruitur verum cognomen M. Pontii Læliani paulo sollicitatum in Inscriptione reperta in foro Traiani, quam exhibet Gruterus p. CCCCLVII. 2 quo in loco vide et adiectas notulas. Iam ex eo lapide apparet M. Pontium Lælianum fuisse sodalem Antoninianum Verianum, legatum Aug., pro prætore Syriæ, comitem divi Veri, donatum donis militaribus bello Armeniaco

eorum digitis primoribus scinderet, equos pulvillis instratos animadverteret...... ·C· *Iulium Cæsarem locutum facundissime omnium* imperatorum fuisse: Augustum vero sæculi residui eleganter, et latinæ linguæ etiam tum integro lepore potius, quam dicendi ubertate præditum puto. Post Augustum nonnihil reliquiarum iam et vietarum et tabescentium Tiberio illi superfuisse. Imperatores autem deinceps ad Vespasianum usque eiusmodi omnes, ut non minus verborum puderet, quam pigeret morum et misereret facinorum. Quod *si*quis dicat, non enim didicerant; cur ergo imperabant? aut imperarent gestu censeo, ut histriones: aut nutu, ut muti: aut per interpretem, ut barbari. Quis eorum oratione sua populum aut senatum adfari? quis edictum, quis

---

et Parthico ab Imp. Antonino et divo Vero, aliisque præterea muneribus amplissimis functum: huic denique Senatum, auctore M. Aurelio, statuam poni habitu civili in foro Traiani pecunia publica censuisse.

epistulam suismet verbis componere potuit? Quasi phrenetis morbus quibus implicitus est, aliena eloquentes imperitabant: ut tibiæ sine ore alieno mutæ erant. Imperium autem non potestatis tantummodo vocabulum, sed etiam orationis est *. Quippe vis imperandi iubendo vetandoque exercetur. Nisi benefacta laudet, nisi perperam gesta reprehendat (1), nisi hortetur ad virtutem, nisi a vitiis deterreat; nomen suum deserat, et Imperator frustra appelletur .... partum suaderent imperium. Falsa pugna deferre militare flagitium. Testimonium ... capitali ...... Plerisque etiam indignis paternus locus imperium per manus detulit: haud secus quam pullis avibus, quibus omnia generis insignia insita sunt, cristæ plumæ cantus et vigiliæ. Regum

* *In margine:* Veteris eloquentiæ colorem adumbratum ostendit.

(1) Ita Cod. sine diphthongo, et sane rectius quam alibi.

pueris in utero matris summa iam potestas destinata est: opstetricis manu imperium adipiscuntur .... Inter Remum et Romulum diversis montibus augur*antes de* rerum summa iudicaverunt aves (1). Reg*num* Persarum equorum ..... non cursu, sed hinnitu priore (2).... Insidiis sæpe ... coniurationi ... aliis imperium. Iam Cato Hispaniam recuperabat (3) iam Gracchus locabat Asiam et Carthaginem viritim dividebat (4).... ·M· Tullius summum supremumque os romanæ linguæ fuit (5) .... vellet. Cicero autem modulatius vos virtusque .... me ... viam ... Extant Epistulæ (variæ) .... partim ... partim ... historiarum vel ....

---

(1) V. Interpretem nuper a nobis editum ad Tullii Orat. *in Vatin.* p. 122.

(2) V. Herodotum in Thalia 85-88.

(3) V. Nepotem in Catone, et Appianum in Ibericis.

(4) V. Plutarchum in Gracchis.

(5) Nota quanti Ciceronem fecerit Fronto, et confer hæc cum iis quæ diximus ad Epist. I. Lib. I. ad Marcum p. 37. n. 1.

compositæ, ut illa Thucycidi (1) nobilissima Niciæ ducis Epistula ex Sicilia missa (2). Item apud ·C· Sallustium (3) ad Arsacen regem Mithridatis auxilium inplorantis litteræ criminosæ. Et Gn· Pompei ad senatum de stipendio litteræ graves (4). Et Aderbalis apud Cirtam obsessi invidiosæ litteræ. *quibus* omnes (patres) postulabat (5). Breves nec ullam rerum gestarum expeditionem continentes in longa . . . . . extant Catuli litteræ (6) . . . . ad senatum . . . . laborum suorum sunt . . . . Tuæ litteræ (7) . . . . si re . . . .

---

(1) Ita Cod. *Thucididi.* Sic *Ulixi* in Epist. II. Lib. I. ad Marcum, et *Alcibiadi* in Epistula III. Alsiensi.

(2) Legitur Niciæ Epistula apud Thucydidem Lib. VII. 11-16.

(3) In Fragm. Histor. Lib. IV.

(4) In iisdem Fragm. Histor. Lib. III.

(5) In Bell. Iugurth.

(6) Sallustius res populi romani M. Lepido, Q. Catulo Coss. ac deinde militiæ et domi gestas usque ad Catilinæ coniurationem conscripserat. Ei Operi, quod pæne totum amisimus, ut Mithridatis et Pompeii, ita Catuli litteras inseruerat.

(7) Rursus de Veri litteris ad Senatum. Recole p. 116.

M· FRONTONIS

EPISTULARUM AD AMICOS LIB. I. (1)

INDEX (2)

(1) In nostro antiquissimo Codice uterque Liber inscribitur diserte *Epistularum ad Amicos.* Quod siquis quærat cur hæ non appellentur potius *Epistulæ familiares* vel *ad Familiares*; is legat Victorium et Gebhardum ad Epist. I. Lib. I. Ciceronis *ad Familiares*, qui plane negant, eum titulum Epistularum Ciceronis vel antiquum esse vel satis convenientem. Melius igitur in nostro Codice hi Libri inscribuntur *ad Amicos*.

(2) Acephalus est in Codice hic Index. Ceterum Frontonis Epistulæ ad Amicos plurimæ non fuerunt, quum ipse de se in Epist. v. huius Libri Fronto dicat: » Nec quisquam est hominum qui » rarius quam ego scripserit ad Amicos, aut re- » scripserit ». Ergo nos Indicem pæne integrum Frontonis Epistularum ad Amicos deprehendisse speramus.

III. VICTORINO GENERO.
Has saltem.

IV. ACCRI(LIO PL·) ARIANO (1).
Iulium Aquilinum.

V. CL· IULIANO

. . . .

VI. CL· IULIANO.
Cuperemus profecto.

VII. AVIDIO CASSIO.
Iunius Maximus.

VIII. AUFIDIO VICTORINO.
Antonius Aquila.

IX. PASSIENO RUFO.
Æmilius Pius.

X. CÆLIO OPTATO.
Sardius Saturninus.

XI. PETRONIO MAMERTINO.
Sardius Saturninus.

XII. VELIO RUFO SENI.
Figuræ orationis.

---

(1) Fortasse legendum est PLARIANO.

* XIII. AUFIDIO VICTORINO (1).
Litteras (quas) Domine.

* XIV. AUFIDIO VICTORINO.
Graviter oculos dolui.

XV. AUFIDIO VICTORINO.
Ad (maius) tempus.

XVI. PRÆCILIO POMPEIANO.
Verum ex me mi.

* XVII. PRÆCILIO POMPEIANO.
Lege carissime mihi.

* XVIII. CL· IULIANO.
Habuisti igitur domi.

* XIX. CL· IULIANO.
Nescio quo pacto fit.

XX. FULVIANO.
Ego (genus) hoc epistularum.

XXI. SARDIO SATURNINO.
Gravissimum casum.

* XXII. IUNIO MAXIMO.
Humani casus homini.

---

(1) Quas Epistulas asterisco notamus, eæ vel in mutilo nostro Codice desiderantur, vel legi propter obliterationem non queunt.

·M· FRONTONIS
EPISTULARUM AD AMICOS
LIBER I.

I. FRONTO CL· SEVERO (1) SALUTEM

COMMENDANDI mos initio dicitur benivolentia ortus, cum suum quisque amicum ali (2) amico suo demonstratum conciliatumque vellet. Paulatim denique iste mos progressus est, ut etiam eos qui publico vel privato iudicio disceptarent, non tamen inproba res videretur iudicibus ipsis, aut iis, qui consilio adessent, commendare: non opinor ad iustitiam iudicis labefactandam, vel de vera sententia deducendam; sed iste in ipsis

(1) Cl. Severum peripateticæ philosophiæ studiosum audivit M. Aurelius, ut Capitolinus testatur in *Marco* p. 33. C. Idem consulatum gessit cum Erucio Claro anno Urbis DCCCXCIX. Pii imperantis nono.

(2) *Ali* pro *alii*.

iudiciis mos inveteratus erat, causa perorata, laudatores adhibere (1), qui id, quod de reo existimarent, pro sua opinione cum fide expromerent. Item istæ commendantium litteræ laudationis munere fungi visæ sunt. Quorsum hoc tam ex alto prohœmium (2)? Ne me existimasses parum considerasse gravitatem auctoritatemque tuam commendando Corneliano Sulpicio (3) familiarissimo meo, qui

(1) De laudatoribus in publicis causis recole sis quæ diximus ad Orat. Tullii *pro Scauro* Editionis nostræ p. 12. n. 4.

(2) Ita Cod. *prohœmium* cum adspirata.

(3) Corneliano Phrynichus suam *dictionum atticarum Eclogen* dicavit. Idem de Corneliano loquitur magnifice in prohœmio Operis : tum in voc. *βασίλισσα* dicit eum scribendis Imperatorum epistulis adscitum. Præcipue vero commendat in voc. *πρόσωπα*, quo in loco dicit eumdem : » purum et » antiquum oratorem, immo solum qui post De» mosthenis ætatem, facultatem dicendi in veterem » formam atque elegantiam revocaverit, universis » græcorum negotiis expediendis præfectum ab » Impp., atque adeo ab iisdem adiutorem imperii » regendi electum ». Iam vero Phrynichus sub Principibus floruit Marco et Commodo eius filio, ut narrat Photius Cod. CLVIII. Ergo fuit æqualis

propediem causam apud vos dicturus est. Sed, ut dixi, veteris instituti exemplo Necessarium meum laudare apud te ausus sum. Industrius vir est, strenuus, ingenio libero ac liberali, patriæ amantissimus, innocentia fretus magis, quam confidens litterarum studio et bonarum artium elegantia. Mihi ad .. * .. Iam .... qui cum

* *In margine:* Iusso, non iussu, quia pluraliter his iussis facit (1).

Frontonis Cornelianus ille cui Phrynichus prædictum Opus inscripsit. Adde quod Fronto in Epist. V. græca iisdem fere laudibus Cornelianum prosequitur, quibus a Phrynicho honestatur. Fronto autem in utraque Epistula, latina nimirum et græca, dicit hunc *Cornelianum Sulpicium*: ergo Sulpicius est ille Cornelianus de quo Phrynichus. Frustra igitur Nunnesius (in Præfatione ad Phrynichum) et Tillemontius (Histoire des Emper. Tom. II. p. 451.) suspicati sunt Cornelianum Phrynichi eumdem esse ac Attidium Cornelianum Syriæ præfectum, de quo Capitolinus in *Marco* p. 37. B. quam suspicionem iampridem improbavit Fabricius Biblioth. Græc. Edit. nov. T. VI. p 175. Et quoniam Tillemontium nominavi, fateor me mirari quod tantus vir dicat *se apud Suidam non deprehendere Phrynichum*, qui tamen manifeste in eo Lexico occurrit.

(1) Vocabulum *iusso* amissum in pagina obliterata, servatum est in margine.

mi(hi) . . . . *in*tercedit. Neque forte aut temere necessitudine ista sumus copulati, nec ultro me amicitiam Korneliani adpetisse fatear. Laus ad me de ingenio eius iam pervaserat, quam veram ad aures meas accidisse, usu didici, multisque documentis expertus sum. Habitavimus una, studuimus una, iocum seriumque participavimus, fidei consilii periculum fecimus, omnibus modis amicitia nostra et voluptati nobis et usui fuit. Quamobrem quantum plurimum possum, tantum *te rogo*, ut carissimo mihi homini in causa faveas . . . . citarit ad accusationem nostri ordinis virum. Sed lectis concilii commentaris (1) . . . . (propul)sare conisus est. Sollicitudo (animi) mea . . . . limitis eum verbis commendare : sed fidum amorem nostri spondet. *Spero autem, ubi cogitaveritis* quid postulem, orationem vobis unum meum verbum visum iri.

(1) Ita Cod. pro *commentariis*.

II. Fronto Lolliano Avito (1) salutem

* Montanum (2) Licinium; ita te reducem complectar! quo iureiurando mea tuaque salus æque continetur; sic diligo, ut non temere quemquam eorum, quiscum mihi hospitii iura sunt, Montano meo anteponam. Quotienscumque Romam venit, in meo contubernio

---

* *In margine*: De amicitia.

---

(1) Lollianus Avitus dicitur consularis vir a Capitolino in *Pertinace* p. 78. D. Revera Lollianus Avitus consulatum gessit anno Urbis DCCCXCVII. Pii imperantis septimo. Coram hoc Lolliano Avito ait publice se disseruisse Apuleius (Apolog. p. 443. Ed Paris. anni 1688.). Proconsulem Africæ fuisse patet iterum ex Apuleii Apologia p. 549 – 550. ubi et eiusdem litteræ citantur laudesque amplissimæ scribuntur. Denique ab Ulpiano in Pand. Lib. L. Tit. II. de Decur. 3. citatur Divorum Fratrum Marci et Lucii Rescriptum ad Lollianum Avitum Bithyniæ præsidem.

(2) De *Montano Atticino* loquitur Plinius in Epist. XXII. Lib. VI. ubi vides in notis plures *Montanos*, sed neminem *Licinium*. Obiter moneo Montanum hæreticum celeberrimum, circa hæc ipsa tempora sectæ suæ dogmata portentosa docuisse.

fuit, meis ædibus usus est, una nobis mensa semper: postremo omnium pæne rerum consiliorumque communicatio et societas fuit. Huic tantum honorem haberi a te velim, quantum tuo .... contubernali consiliari(oque) *haberi* tuo postulares ..... Bonarum artium sectator est .... Montanus: tum doctrina et facundia est eleganti. Etsi sentio me meo artificio nimium favere, quod ipse nihil eloquentiæ antetulerit .... Apud me antiquissimum locum laudis eloquentia possidet * .... Ex summis benignitatis opibus tribuas. Nihil postulabit pro sua verecundia, nisi quod probum honestumque sit et tibi datu et sibi postulatu. ... Frugi, probus, philostorgus, cuius rei nomen apud romanos nullum est (1) ....

* *In margine*: Laus eloquentiæ (2).

(1) Eadem dicta sunt in Epist. v. Lib. I. ad Verum.

(2) Totus hic Epistulæ locus *de eloquentia* evanuit in Codice.

facundissimo omnium quæ tua nobilitas est . . . . . Ægre abstractum contubernio meo, quod pectoris valetudine correptus le*vari isto* cœlo posse *magno* opere videatur. *Cum* eum inter paucissimos diligam, fac mihi cape . . . eum præsentem accipias et propicia . . . . iuxta . . . . salutem . . . . cupio . . . . ita generatus est . . . .

III. VICTORINO GENERO

HAS saltem . . . . Ita instituimus amicitiam, ut hæc vulgata officia neglegeremus, vero amore contenti . . . . Cum amico omnia amara et dulcia communicata velim . . . . savia . . . . nis. Eo pervenit, ut esset mihi non tantum carissimus, sed pæne solus . . . . (1) Venetus venalis est (2). Scis

(1) Quæ sequuntur verba non pertinent ad hanc Epistulam, nam in codice præcedunt eius initium. Ea tamen heic subteximus, quia sola supersunt in pagina prorsus obliterata.

(2) Censeo hoc a Frontone dici non de gente sed de factione Veneta. Quatuor quippe romani Circi

hoc perpetuum Venetis fatum esse, ut numquam venierit, veniat (1) semper .... has saltem ..... das curare. Rescribit mihi litteras se nullas accepisse ..... loquar.

---

factiones fuerunt, Veneta, Russata, Albata, Prasina, ita dictæ a vestium colore. Constat autem romanam civitatem, immo ipsos Imperatores modo huic modo illi factioni favisse, et præmia amplissima Victoribus proposuisse. Sic L. Verus favebat Prasinis contra Venetos. Quare, ut narrat Capitolinus in eius vita p. 54. B. » Præsens (in Circo) » et cum Marco sedens, multas a Venetianis est » passus iniurias, quod turpissime contra eos fa- » veret. Nam et Volucri equo prasino aureum si- » mulacrum fecerat, quod secum portabat ». Iam ex hoc Epistulæ loco apparet etiam Frontonem Venetis adversum fuisse. Porro Frontonem in Circo frequentem adesse solitum, et studio Circensium valde irretitum fuisse, constat ex Epist. III. Lib. II. ad Amicos, eiusque margine.

(1) Ita Cod. *veniat* pro *veneat*. Sic in Inscript. apud Murator. p. MCCCXI. 2. legitur *veniet* pro *venibit*.

IV. FRONTO ACCR(ILIO PL·)
ARIANO (1) SALUTEM

IULIUM Aquilinum (2) virum, siquid mihi credis, doctissimum, facundissimum, philosophiæ disciplinis ad optimas artis, eloquentiæ studiis ad egregiam facundiam, ex iure eruditum commendo tibi quam possum studiosissime. Decet a te gravissimo et sapientissimo viro tam doctum tamque elegantem virum non

(1) Haud scio an hic sit Flavius Arrianus Nicomediensis, philosophus et historicus iis temporibus præstantissimus. Ex Chronico Eusebii ad annum Christi 148. quidam suspicati sunt Arrianum præceptorem fuisse Verissimi, seu M. Aurelii. V. Tillemontium Hist. des Emper. T. II. p. 337. et notam 28. ad Gellii cap. II. Lib. I. *Flavii* prænomen tribuit Arriano Dio LXIX. 15. Ad Arrianum quemdam Plinii quoque exstant plures Epistulæ. Arrianus etiam iurisconsultus sub Pio laudatur in Iure. Sed hi omnes cum duplici *r*. Præterea in nostro Cod. non videtur legendum FL· sed PL· Immo legendum suspicor PLARIANO. Et quidem nomina *Plarius* et *Plaria* occurrunt in Inscriptionibus apud Gruterum et Muratorium.

(2) Iulius quidam Aquilinus memoratur in Inscriptione reperta iuxta fontem Timavi non longe ab Aquileia. V. Gruterum CXV. 7. Murator. DCCCLXXXVIII. 6.

modo protegi, sed etiam provehi et inlustrari. Est etiam, siquid mihi credis, Aquilinus huiusmodi vir, ut in tui ornamentis æ(que ac) nostri merito numerandus sit. Non dubitabis ita esse, ut dico, si eum audire (dispu)tantem de platonicis disciplinis dignatus fueris. Perspicies pro tua prudentia intelligentiaque summa *haud* (1) minorem fama*, luculentissimum verborum apparatu, maxima frequentia sententiarum. Quom hæc ita esse deprehenderis, scito amplius esse in hominis moribus. Tanta probitate est et verecundia! Maximi concursus ad audiendum eum Romæ sæpe facti sunt. Plurimi nostri ordinis viri facundiam eius non modo probant, sed etiam admirantur. Officio necessario inductus est ut (hinc) proficisceretur (2) ad

* *In margine*: Laus Aquilini.

(1) Addidi *haud*.

(2) Fortasse in Cappadociam, cui præerat Flavius Arrianus, ut narrat Dio loco nuper laudato.

consolandam consobrinam suam casu gravi adflictam. Quantumcumque Aquilino meo honoris tribueris, id te mihi tribuere existimato.

V. » FRONTO CL· IULIANO (1) SALUTEM »

.... omnes provinciales loqui. Multa etiam laboriosius facere, quam ipsa res postulat: acta cognitionum, epistulas omnes denique ad provinciam adtinentes. Te iuvabunt tuisque.... adsidue munera

(1) De hoc fortasse loquitur inscriptio apud Gruterum XXXII. 6. SOLI. SACR. PRO. SAL. CL. IULIANI P. V. PRÆF. ANNONÆ. TI. IULIUS. BALBILLUS. S SOL. DED. XIII. KAL. FEB. L. ANNIO. FABIANO. M NONIO. MUCIANO. COS. Porro Fabiani et Muciani consulatus incidit in annum Urbis DCCCCLIV. quo tempore adhuc superesse potuit is qui familiaritate Frontonis usus fuisset. Atque hic quidem in Inscriptione memoratus Cl. Iulianus præcipue notandus fuit, quoniam etiam prænomen congruit. Ceterum plures Iuliani circa eadem tempora occurrunt. Ex gr. Photius Cod. CLVIII. narrat Phrynichum cuidam Iuliano civi et amico suo inscripsisse quartum et octavum sui Apparatus Libros. Atqui Phrynichus fuit æqualis Frontonis; ergo etiam ille Iulianus cui Phrynichus eos Libros inscripsit.

obires .... *cum ho*nore provinciales tractare: ut verum sit quod antiqui Veteres (1) dixerunt *τοῦ αὐτοῦ εἶναι καὶ παίζειν* (2) *καὶ σπουδάζειν*. Valerianum (3) .... bonus si .... studebam conclusus: nec me Valerianus noster videre potuit. A Dominis nostris Imperatoribus non propter aliud amari me opto, quam ut te quoque participem mei corporis et animi diligant. Et cum bonitate eorum certus sum ita fore. Quom tibi scriberem, paulo commodius valebam. Adhuc quidem eo tempore eram ex longissima mea valetudine, quam contra

(1) *Antiquum* et *vetus* non raro coniunguntur apud latinos scriptores, ut satis exploratum est. De his autem vocabulis sic loquitur ipse Fronto in suo Opusculo *de Differentiis Vocabulorum*, quod unicum ante nostram Editionem exstabat apud Pustchium p. 2192. " Antiquum et vetus. Antiquum est, quod " excessit patrum memoriam. Vetus annorum mul- " torum sentit utilitatem. Vinum hoc melius est, " quo fit vetustius ".

(2) Cod. *παιίζειν*. Sed tamen littera *ι* prior videtur deleta. Revera *τὸ παίζειν* opponi solet *τῷ σπουδάζειν*, qua de re vide H. Stephanum in utroque verbo.

(3) Valerianum Pertinacis Imp. magistrum memorat Capitolinus in illius vita p. 85. C.

curam . . . . male mulcavit. Recitavi in senatu satis . . . . repeterem, postularetur. Fac, mi Naticelli (1), valetudinis tuæ curam geras, ut fortis ad nos venias. Di præstabunt ut me quoque forticulum invenias. Valerianus noster magnas ad te plagas rettulit, quas ab omnibus . . . . . gravius eum tractavi . . . quam Stratonabian (aut Pyrallum) (2). Stragu(la mihi) linea ... (quæ germani) . . . Munus hoc ab ineunte ætate infrequens habui, et pæne neglectum: nec quisquam est hominum, nisi . . . . . qui rarius quam ego

---

(1) Ex hoc loco eruimus inscriptionem acephalæ Epistulæ, siquidem in sequente Epistula, quæ diserte in Codice inscribitur *Cl. Iuliano*, idem dicitur *Naticellius*. Porro Fronto sicuti Cl. Iuliano addit cognomen (an agnomen?) *Naticellii*, ita Cornelio Repentino *Contuccii* in Epist. IV. Lib. II. ad Amicos.

(2) Locus hians, ut alii multi, et conclamatus. Ita tamen in Codice mihi legere videor. *Pyrallis* cognomentum fœminæ non semel occurrit in Inscriptt. apud Gruterum, semel etiam apud Murator. MCDXCIII. 8. *Pyrallus* quoque in Indice Gruteri. Dubitabam etiam num in Codice legendum esset *Pyladem* pro *Pyrallum*.

scripserit ad amicos aut rescripserit (1). Nec quisquam de .... quam ..... noscitur .....

VI. Fronto Cl· Iuliano salutem

Cuperemus profecto, mi Naticelli carissime, eo nos fato præditos, ut si mihi liberi etiam virilis sexus nati fuissent, eorumque ætas hoc potissime tempore ad munia militiæ fungenda adolesceret (2), quo tempore tu provinciam cum exercitu administrares (3); uti sub te mei liberi stipendia mererent. Non longe aberit, quin hoc quod uterque cuperemus evenerit. Nam Faustinianum (4)

---

(1) Nota morem Frontonis.

(2) In antiquis Codd. scribitur promiscue *adulesco* et *adolesco*, sed illud sæpius.

(3) Iulianus centurio memoratur in Inscript. apud Murator. DCCCLXXVI. 3. et DCCCLXXVII. Idem fortasse is est, qui deinde provinciam cum exercitu administravit.

(4) Faustinianus recensetur a Spartiano in *Severo* p. 101. D. inter nobiles senatores, quos Severus Imp. causâ indictâ occidit.

Sta(tirni) (1) mei filium non minus diligo, neque minus eum diligi cupio, quam si ex me genitus esset. Is nunc sub te merebit. Tu . . . dium meliore bono an . . . Quantum ex tua benivolentia Faustinianus ornamenti adsequetur, tantum tu voluptatis ex Faustiniani elegantia capies. Quam doctus sit, mihi crede. Quam rei militaris peritus, prædicant omnes, sub quibus meruit. Sed tum demum doctrinæ industriæque suæ fructum se percepisse putabit, ubi se tibi probarit. Fac periculum * in militiæ muneribus, fac periculum in consiliis iudiciariis (2), fac periculum in litteris, omni denique prudentiæ et facilitatis usu vel serio vel remisso; semper et ubique eum parem sui invenies. Patrem vero eius egregium virum, nisi tute nosses, satis ego laudare non

* *In margine*: Laus exercitationis.

(1) Ita prorsus *Statirni*, et non v. g. *Saturnini*, videor mihi legere in Codice hic et inferius in hac Epistula.

(2) Cod. *iudicaris*.

possem, quin aliquanto minus dixerim, tametsi plurimum dixero. Prosus (1) ego Sta-(tirni) mei filium qualemcumque diligerem tam hercule, quam Faustiniani mei (2), patrem qualemcumque carum haberem. Nunc vero uter utri plus apud me gratiæ conciliet, ignoro. Nisi quod utrumque impensius alterum alterius gratia diligo.

VII. FRONTO AVIDIO CASSIO (3) SALUTEM

IUNIUS Maximus (4) tribunus qui laureatas Romam adtulit litteras (5), non

(1) *Prosus* archaismus pro *prorsus*. Confer Epist. III. Lib. II. ad Amicos. Sed tamen in Epist. sequente huius Libri I. legitur *prorsus*.

(2) Cod. *Faustiniani mei filium patrem*. Sed tolle *filium*.

(3) Avidius Cassius dux præstantissimus sub Antoninis in Armenia, Arabia, Ægypto, alibique rem optime gessit. Quum se, vivente adhuc Marco, imperatorem in Oriente dixisset, brevi occisus est. Exstat eius vita a Vulcatio Gallicano conscripta.

(4) Ad Iunium Maximum scriptæ sunt Epistt. XXII. et XXIV. huius Libri.

(5) Litteras dicit victoriæ Parthicæ nuncias. Recole Epistulam IV. Libri II. ad Verum p. 116. n. 2.

publico tantum munere strenue, sed privato etiam erga te officio amice functus est. Ita de laboribus et consiliis tuis et industria et vigilantia prædicator ubique frequentissimus extitit. Ad me quidem minus valentem cum in suburbanam villam (1) venisset, numquam cessavit in vesperum usque fabulas (2) nectere itinerum tuorum, et disciplinæ ad priscum morem institutæ ac retentæ (3): tum in agmine ducendo et manu conserenda strenuissimi vigoris tui et consultissimæ opportunitatis. Prorsus ut nullus miles Plautinus de suis, quam (4) hic de

---

Namque Avidius Cassius fuit unus e ducibus qui bellum Parthicum confecerunt. V. Capitol. in *Vero* p. 55. A.

(1) Suos hortos commemorat Fronto etiam in Epist. IV. Lib. I. ad Verum.

(2) Nempe *sermones*. Sic Capitolinus in *Pertinace* p. 85. C. ait: « Quum sine amicis cœnaret (Pertinax) » adhibebat uxorem suam et Valerianum, ut cum » eodem qui docuerat, fabulas literatas haberet ».

(3) De Avidii Cassii in regendis militibus severitate fuse agit Vulcatius in eius vita.

(4) Sic Codex non præcedente *tam*: quam quidem loquutionem alia antiqua exempla confirmant.

tuis virtutibus gloriatur, prædicaret: nisi quod Plautus de suo milite cum lepore, hic de te cum amore et cum summa fide. Dignus est quem diligas et suffragiis tuis ornes. Tuæ propriæ gloriæ addideris, quantum dignitati prædicatoris tui adiunxeris.

VIII. FRONTO AUFIDIO VICTORINO SALUTEM

ANTONIUS Aquila (1) vir doctus est et facundus. Quod *si* tu dicas, audisti ne eum declamantem? Non medius fidius ipse audivi, sed credidi adfirmantibus id doctissimis et honestissimis et mihi carissimis viris, quos et iudicare recte

(1) Aquila ex orientali Galatia oriundus discipulus Chresti, qui sub Hadriano Imp. floruit, dicitur rhetor probatissimus a Philostrato Soph. II. in *Chresto*. Alius est Aquila Romanus cuius exstat *De figuris sententiarum et elocutionis libellus* ex Alexandro Numenio expressus, qui Alexander item ut Chrestus sub Hadriano claruit. Sed de Aquilæ romani ætate definite non constat. Aquila orator nominatur a P. Consentio apud Pustchium p. 2026.

posse, et ex animi sententia testimonium perhibere certo scio. Velim, Domine, ut adiuves eum, quo facilius in civitate aliqua istius provinciæ instituendis adulescentibus adsciscatur. Impense istud a te peto: factum enim Aquilæ volo honoris eorum causa, qui pro eo studiose laborant: nec ita ei studerent, *nisi* protectionis dignum tanto studio arbitrarentur: nec nisi facundiam eius magnopere (1) probarent, tibi eum commendare tantopere postularent, quom te gravissimum et prudentissimum iudicem, cum aliarum rerum, tum vel præcipue eloquentiæ sciant. Ego vero etiam nomine hominis faveo * ut sit ῥητόρων ἄριστος, quoniam quidem Aquila appellatur.

* *In margine*: Faveo illa re (2).

(1) Sic Cod. *magnopere* et inferius *tantopere*. At alibi *quanto opere* et *tanto opere*.

(2) Hæc notari videtur ut non vulgaris loquutio.

IX. FRONTO PASSIENO RUFO SALUTEM

ÆMILIUS Pius cum studiorum elegantia, tum morum eximia probitate mihi carus est. Commendo eum tibi, Frater. Nec ignoro nullum adhuc inter nos mutuo scribtitantem (1) usum fuisse. Quamquam ego te optimum virum, bonarumque artium sectatorem, communium amicorum fama cognossem: et tu fortasse aliquid de me secundi rumoris acceperis. Sed nullum pulchrius *tempus* amicitiæ copulandæ reperire potui, quam Adulescentis optimi conciliandi tibi occasionem. Ama eum, oro te. Cum ipsius causa hoc peto, tum mea quoque. Nam me etiam magis amabis, si cum eo (2) familiarius egeris. Novit enim Pius nostra omnia: et in primis quam cupidissimus sim amicitiarum quom eiusmodi viris, qualis tu es, copulandarum.

(1) Ita codex, neque ego sum ausus substituere *scribtitandi*, quod equidem mallem.

(2) Codex pro *cum eo* habet *cupio*.

X. FRONTO CÆLIO OPTATO SALUTEM

Sardius Saturninus artissima mihi familiaritate coniunctus est per filios suos doctissimos Iuvenes, quos in contubernio mecum adsiduos habeo. Magnopere eum tibi, Frater, commendo: et peto, siquid negotii eum ad te eduxerit, carissimum mihi virum omni honore dignum iudices, et ope tua protegas.

XI. FRONTO PETRONIO MAMERTINO (1) SALUTEM

Sardius Saturninus filium habet Sardium Lupum doctum et facundum virum, de mea domo meoque contubernio

(1) Petronius Mamertinus consul fuit cum Trebellio Rufo anno Urbis DCCCCXXXV. Hunc Petronium Mamertinum narrat Lampridius in *Commodo* p. 71. A. occisum ab hoc imperatore cum filio Antonino, quem Mamertinus ex filia Marci imp. susceperat: ex quo loco patet eum fuisse Marci generum.

in forum deductum, ad omnis bonis (1) artis a me institutum, frequentissimum auditorem, tuum(que) maximum laudatorem . . . minus (augerem) habuit . . . egregias . . . gravissim(um) . . . mihi . . . cum Sardio Saturnino qui aliq . . . . nostræ numeres ac diligas.

XII. FRONTO VELIO RUFO SENI (2) SALUTEM

FIGURÆ orationis sunt quæ maxime orationem ornant. Duplex autem genus est figurarum: aut enim verborum figuræ sunt, aut sententiarum. In figuris verborum est tropos metaphora. Hac figura usus sum cum figuram dixi de corpore, in quo neque sincerus, neque aqua pura,

(1) Sic Cod. *bonis* pro *bonas*, non secus ac *omnis artis* pro *omnes artes*: de quo exemplo pro libito suo quisque iudicet.

(2) Velium Rufum memorat Marcus Aurelius in Opere *De rebus suis* XII. 27. Edit. Traiec. ad Rhen. 1697. Velium item Rufum consularem occisum sub

neque ullus humor liquidus, sed ita, ut in palude, corrupta omnia. Quod autem plerosque (fugit), *cum* te hominem vehementem, et cum doctrina, tum multo magis natura validum (scirem artes) eius modicæ. . . . as aliter dicenti fidem habere. Orationem istam pro Bithynis (1)

Commodo Imp. narrat Lampridius in *Commodo* p. 69. A. Rufi sophistæ Perinthii, ex gente consulari, qui Herodis Attici auditor fuit, vitam scripsit Philostratus II. 17. Ex ea vita constat, Rufum figurato præcipue orationis genere usum esse, eoque inclaruisse: satis eruditum hominem fuisse, dicendi etiam ex tempore facultate præditum, tum corpore gymnasticis laboribus et diæta confirmato. Quæ qui conferet cum hac Epistula, Rufum Philostrati et Velium Rufum Frontonis unum eumdemque virum facile existimabit. Nec obstat, quod *Senem* eum dicat Fronto, quum tamen ex Philostrato constet eumdem puerum auditorem fuisse Herodis qui fuit Frontonis æqualis. Nam *Senex* fortasse is dicitur, ut ab aliquo filio cognomine discernatur. Et filios quidem Rufi sophistæ memorat Philostratus.

(1) Orationem *pro Bithynis* Fronto appellat *Orationem Bithynam* in Epistula ad Aufidium Victorinum quæ incipit *ad maius tempus*, quam nos Epistulam exhibemus post Fragmentum Orationis *de Hereditate Matidiæ*. Plinius in Epistula IX. Libri IV. loquitur prolixe de causa, in qua Iulius Bassus

ante annum fere in manus sumpseram, et corrigere instituerani. Tibi etiam Romæ tunc agenti nonnihil de ista oratione

---

contra accusantes Bithynos defensus est. Quo in loco ait Plinius: EGERUNT PRO BASSO HOMULUS ET FRONTO MIRIFICE. Homulus quidem æqualis fuit Frontonis, si tamen est ille M. Valerius Homulus, de quo Capitolinus in *Pio* p. 31. A. et in *Marco* p. 36. A. quique consulatum gessit anno nono post Frontonem consulem, nempe Pii imperantis anno XV., et non potius C. Titius Homulus, ut præferunt nonnulla Plinii exemplaria. Nec obstat, quod Bassus dicatur in principio Plinianæ Epistulæ accusatus etiam sub Vespasiano: nam illa accusatio accidit ei admodum iuveni, hæc autem causa Bithyna conflata est eidem seni, teste Plinio in fine Epistulæ: „ Misso senatu Bassus magna „ hominum frequentia, magno clamore, magno „ gaudio exceptus est. Fecerat eum favorabilem „ renovata discriminum vetus fama, notumque pe- „ riculis nomen, et in procero corpore mœsta et „ squalida senectus „. Nec rursus obstat, quod causa Bassi dicatur a Plinio *de acceptis muneribus*, hæc vero, de qua nunc Fronto noster, habuerit locum quemdam *de crimine mandatæ cædis;* plura enim et varia in eadem causa sæpe tractantur. Duo tamen me deterrent, quominus Frontoni nostro diserte tribuam causam Bithynam, quam Plinius narrat a Frontone oratam. Primum, quod Massonius Plinianæ vitæ auctor causam Bithynam

promiseram. Et quidem, si recte memini, cum sermo inter nos de partitionibus

---

Bassi anno Urbis circiter DCCCLIV. agitatam iudicat: quod si vere dicitur, alius orator Fronto intelligendus videtur: nam noster quidem consul demum fuit anno quadragesimo secundo post eam causam dictam. Alterum, quod Fronto noster ait se causam egisse pro Bithynis; at ille apud Plinium memoratus Fronto, egit causam Bassi contra Bithynos.

Alius causæ Bithynæ meminit Plinius, cum alibi, tum Epist. XIII. Lib. VI. in qua causa Rufus Varenus adversus Bithynos item accusantes defensus est a Frontone Catio. Sic enim ibi ait Plinius: RESPONDIT (pro Rufo Vareno) FRONTO CATIUS GRAVITER ET FIRME. Sed mittamus licet *Catii* cognomentum Frontoni additum; eadem argumenta ac superius memorata suadere nobis videntur, ut ne Rufi Vareni quidem causam a Frontone nostro oratam sine dubitatione putemus. Hanc enim statim pæne actam fuisse post priorem Bithynam Bassi, patet ex Plinii Epist. XX. Lib. V. Quare et Massonius eam in annum Urbis DCCCLV. aut sequentem confert. Tum Fronto Catius dixit pro Rufo Vareno contra Bithynos, at noster egisse se dicit pro Bithynis. Frontonem Catium, de quo Plinius loquitur, eumdem esse ac M. Aurelii præceptorem Petrus Baylius (in *Frontone*) non probat, idque immo ibidem in notis vehementer negatur: refelliturque Catanæus qui ad Plinii Epist. XI. Lib. II. ei sententiæ subscripserat. Notemus tamen Frontonem nostrum scribere nunc de sua oratione Bithyna ad *Rufum*, eamque secundam causam Bithynam, de qua Plinius, dictam fuisse pro *Rufo*.

orationum ortus esset, dixeram et præ me tuleram satis me diligenter in ista Oratione coniecturam, quæ in crimine mandatæ cædis verteretur, divississe argumentis ac refutasse. Interea nervorum dolor solito vehementior me invasit, et diutius ac molestius solito remoratus est. Nec possum ego membris cruciantibus operam ullam litteris scribendis legendisve inpendere: nec umquam istuc a me postulare ausus sum, philosophis etiam mirificis hominibus dicentibus, sapientem virum etiam in Phalaridis tauro inclusum, beatum, nihilominus fore. Facilius crediderim beatum eum fore, quam posse tantis(per) perambu-renti in aheno prohœmium meditari, aut epigrammata scribere. Reconciliata deinde mihi longo post tempore commoda valetudine, alias egi res potius: adversus istam Orationem alienato animo fui, nec pudebit me fateri odium ac simultatem . . . . Rediit igitur post

repudium renuntiatum Oratio domum meam et mecum mansitavit. . . . * . . . .

XIII. AUFIDIO VICTORINO

LITTERAS quas, Domine . . . .
. . . .

XIV. AUFIDIO VICTORINO

GRAVITER oculos dolui . . . .
. . . .

XV. AUFIDIO VICTORINO

AD (maius) tempus . . . (1) . . . . .
. . . .

---

* *In margine*: Ab anu anucella (2).

---

(1) Hanc Epistulam collocandam censuimus post Fragmentum Orationis Frontonianæ *de Hereditate Matidiæ*, quia eum locum non parum declarat.

(2) Nota vocabulum *anucella*, quod amissum in pagina obliterata, servatum est in margine.

XVI. FRONTO PRÆCILIO POMPEIANO
SALUTEM

VERUM ex me, mi Pompeiane, uti res est audies: velimque te mihi verum

. . . .

XVII. PRÆCILIO POMPEIANO

LEGE carissime mihi . . . .

. . . .

XVIII. FRONTO CL· IULIANO
SALUTEM

HABUISTI igitur domi . . . .

. . . .

XIX. CL· IULIANO

NESCIO quo pacto fit . . . .

. . . .

XX. FULVIANO (1)

Ego (genus) hoc epistularum (2) .... ultro citroque .... tibi .... est .... tamen .... amicis et comitibus .... quod ... non ... post ... quæ ... neque duco, neque umquam querar. Quid igitur? Non(ne) illud quoque evenire solet, ut is qui (diu) amaverit quem(piam), subita vel levitate morum, vel copia novorum amicorum desinat amare? Scis sæpenumero hoc multis evenisse, sed non nostræ mensuræ hominibus ... hoc ... alias ... amicis ... dilige(ntiæ) ... nostræ mediocritas retinet.

(1) Fulviano eidem fortasse, qui antea Sallustius dictus est. Is videtur versatus in exercitu L. Veri bellum Parthicum gerentis. Recole Epist. II. Lib. II. ad Verum.

(2) Fulvianus videtur missus fuisse a Vero imperatore cum litteris de bello Parthico agentibus ad Frontonem, qui eius belli historiam moliebatur. Vide rursus laudatam nuper Epistulam.

XXI. FRONTO SARDIO SATURNINO SALUTEM

* GRAVISSIMUM casum tuum recenti malo consolari nequivi, periculosa valetudine ipse et in hoc usque tempus conflictatus, cum quidem mihi languore fesso plurium ægritudinum (venit) nuntius amissi Iuvenis, quem tibi optimum filium fors iniqua abstulit, mihi iucundissimum contubernalem (1). Quamobrem quamquam reciperata sit commoda valetudo, tristitia tamen inhæret animo meo, magisque in dies augetur mærore (2) Lupi nostri (3) fratrem optimum misere desiderantis.

* *In margine*: Consolatoriæ (4).

(1) Recole huius Libri Epistulam X. ubi de filiis Saturnini, qui discipuli et contubernales erant Frontonis.

(2) Ita Cod. cum æ, quæ scriptura huius vocabuli videtur antiquior quam cum œ adhibetur.

(3) De hoc Lupo Saturnini filio vide Epist. XI. huius Libri.

(4) Nempe plures sequebantur in Codice Epistulæ consolatoriæ.

Quom præsentem ac loquentem vix consolarer (1), sentio quam *sit* difficile te absentem per litteras consolari. Neque postulo ut mærere desinas, sed ut moderatius . . . .

XXII. IUNIO MAXIMO (2)

HUMANI casus homini . . . .
. . . .

XXIII. SARDIO SATURNINO

HORTATUS sum con . . . .
. . . .

XXIV. IUNIO MAXIMO

PER Ulpium (3) nos . . . . . *ho*nestatis gravitatisque tuæ prædicatorem. Quem cupio ad me celeriter remittas. Neque

(1) Ita Cod. sed videtur emendandum *consoler*.

(2) Iunius Maximus fuit tribunus in exercitu Avidii Cassii, ut constat ex Epist. VII. huius Libri.

(3) Ulpium Marcellum iuris peritum memorat Capitolinus in *Pio* p. 31. A. Ulpium item Marcellum sub Commodo in bello Britannico clarum narrat Dio LXXII. 8.

enim cum alio ullo tanta mihi familiaritas est, aut tantus usus studiorum bonarumque artium communicandi (1). Multo etiam mihi iucundior erit, quom sermones de te mutuo recolemus ac recensebimus.

XXV. FRONTO SQUILLÆ GALLICANO (2) SALUTEM

* TIBI, Domine Frater, commodius evenit, qui pro Filio nostro (3) præsens

* *In margine*: Mire scripta Epistula.

(1) Nota gerundii constructionem non vulgarem, cuius tamen exstant exempla etiam apud Ciceronem. Sic Philipp. V. Cap. 3. » Antonio facultas » detur agrorum suis latronibus condonandi ».

(2) Gallicanus consul cum Titiano occurrit anno XI. Hadriani imp. Gallicanus (idem vel alius) consul cum Vetere anno Pii imp. XIII. Uterque (vel utrobique) Gallicanus caret prænomine et nomine in antiquis monumentis, licet Blanchinius, nescio qua ductus coniectura, primo fecerit prænomen Titi et nomen Villii, alterum dixerit Q. Romulum Gallicanum. Sed videndi Sigonius in Continuat. Fast. et Muratorius in Annal. Ital. ad utrumque annum. Squilla certe Gallicanus, Frontonis æqualis, consul esse potuit tum sub Hadriano tum sub Pio: quare suspicari licet consuli Gallicano fuisse nomen *Squillæ*.

(3) Intellige filium Gallicani, discipulum et contubernalem Frontonis.

trepidaveris, quam mihi qui trepidaverim absens. Nam tua trepidatio pro eventu actionis, facile sedata est. Ego quoad mihi ab omnibus contubernalibus (1) nuntiatum est quo successu noster Orator egisset, trepidare non destiti. Et tu quidem ad singulos Orationis successus, prout quæque sententia laudem meruerit, gaudio fruebare; at ego domi sedens sæpe tua sollicitudine angebar, ut qui periculum actoris recordarer, laudibus actionis non interessem. Tum præterea multiplicis tu fructus abstulisti: non enim adfuisti tantum, sed et vidisti agentem: nec eloquentia solum, sed etiam vultu eius et gestu lætatus es. Ego tametsi quid dixerit scio, tamen ignoro quemadmodum dixerit.

(1) Domus Frontonis ludus atque officina eloquentiæ Romæ fuit. Immo Fronto, quod paucis accidit, novam sectam oratorum exorditus est. Eius enim discipuli, quiqne eiusdem dicendi genus præoptaverunt, *Frontoniani* dicti sunt, quorum meminit Sidonius Apollinaris Epistul. I. Lib. I.

Postremo . . . . (cui Callistus lacrimas) . . . . . patrem . . . . . adeptus es . . . . . quin . . . . . gaudeo . . . . . esse si hodie . . . . . . mens . . . . . . In forum descendit natalibus nobilis, de foro rediit eloquentia quam genere nobilior.

M· FRONTONIS

EPISTULARUM AD AMICOS

LIBER I.

explicit.

Legi emendavi qui supra (1).

(1) Hæc verba scripta sunt in Codice eadem manu, qua Notæ in margine. Atque hæc recensio subiungitur, præter hunc locum, etiam Libris inscriptis de Nepote amisso, I. et II. de Orationibus, de Bello Parthico, Principia Historiæ, nec non I. ad Marcum (V. infra post Fragmentum Orationis de Hereditate Matidiæ); sed, quod valde dolendum est, nomen recensentis nusquam occurrit. Tantum e scripturæ specimine, quod in Tabula ad calcem nostri Libri exhibemus, illius docti viri ætatem coniectare licebit.

·M· FRONTONIS

Epistularum ad Amicos Lib. II.

INDEX (1)

(1) Aut integer est Index huius Libri II. aut una et altera ad summum desunt Epistulæ. Eius rei argumenta sunt, quod et Index materiâ Epistularum primi et secundi Libri satis arcte utrinque concluditur, et in codice, quantum videre licuit, eodem ordine occurrunt Epistulæ atque in Indicem relatæ sunt.

V. ARRIO ANTONINO.
Multum amicorum.

VI. IIIl. VIRIS ET DECURIONIBUS.
Quantæ mihi curæ.

* VII. IIIl. VIRIS ET DECURIONIBUS (1).
Meæ gloriæ totius.

* VIII. (CAVIO MAXIMO).
. . . .

* IX. ARRIO ANTONINO.
Gratul(or)... plerosque.

* X. ARRIO ANTONINO.
Valerius Clitianus.

XI. ARRIO ANTONINO.
Sicut eos qui.

(1) Epistulæ asterisco distinctæ absunt a Codice.

M· FRONTONIS

EPISTULARUM AD AMICOS

LIBER II.

I. VOLUMNIO QUADRATO (1)

SECRETO (habe)bo ita ut vis: legam libenter (2), itaque ut soleo corrigam, quantum manus, quæ infirmissimæ sunt, tolerare poterunt. Ex voto studiorum cultum teneto, et siquid vacui temporis detur, exercendo ingenio occupare.

---

(1) Multi in horum temporum historia occurrunt Quadrati, quos inter ille rhetor et vir consularis, Favorini imitator, de quo Philostratus in *Varo*: et ille nobilissimus Iuvenis, qui, ut narrant Herodianus, Dio, et Lampridius, coniuravit in Commodum imperatorem.

(2) Nempe scriptum aliquod missum. Confer Epistulam huius Libri tertiam.

II. VOLUMNIO QUADRATO

CASTRICIUS noster (1) libellum tuum mihi heri reddidit de balneo egredienti, ut mane ad me veniret ad rescriptum accipiendum. Per noctem ita vexatus sum tussi et vigiliis (2), ut necessario in quintam horam dormierim. Ita Castricium nostrum detinui. Ciceronianos emendatos et distinctos habebis adnotatos a me (3).

---

(1) T. Castricium illustrem rhetorem sub Hadriano laudat Gellius Lib. I. 6. II. 27. XI. 13. XIII. 21. quo postremo in loco se usum quoque eo magistro asserit. Sine dubio igitur Castricius a Gellio memoratus Frontonis æqualis fuit: verum in hac Epistula utrum Castricius rhetor, an potius libertus aliquis nominetur, incertum est.

(2) De vigiliis suis questum Frontonem vides etiam in Epist. IX. Lib. I. ad Marcum.

(3) Puto intelligendos Libros Ciceronis, et nota a Frontone emendatum adnotationibusque illustratum Ciceronem. Porro hic locus Frontonis notus quidem iam mihi erat, cum Asconii esse dicebam eum Commentarium ineditum anonymum in Ciceronis aliquot Orationes, quem nuper edidi; sed tamen a mea sententia non idcirco mihi recedendum putavi. Namque ut Asconio illud Opus adscriberem, multa indicia suadebant; ut Frontonis esse dicerem, nulla.

Leges ipse: in volgus enim eos exire quare nolim, scribam ad te diligentius.

III. VOLUMNIO QUADRATO

LEGAM, Fili, libenter Orationem istam, quam misisti mihi. Siquid videbitur corrigendum, corrigam, sed librari manu. Nam mihi manus (dextera) doloribus non mediocribus *torquetur.* Cum istis tamen doloribus in Circum delatus sum. Rusum (1) studio Circensium teneor * . . . quantum . . . tuoque . . . orationis . . . hic cupiat . . . hic libel . . . colat . . . item composita sit rhetorico tota.

* *In margine* : ·M· Fronto studio Circensium inpense tenebatur.

(1) Sic Cod. pro *rursum.* V. etiam inferius Fragm. I. Libri II. de Orationibus. Et quidem ita loquebantur Veteres. V. Augustinum *de Civ. Dei* Lib. VII. 23. ubi ex Varrone Deus quidam dicitur *Rusor*, *quod rursus cuncta eodem revolvuntur.* Sic etiam olim scribebatur *susum* et *iusum* pro *sursum* et *deorsum.*

IV. CORNELIO REPENTINO (1) FR· PR· (2) SALUTEM

FECISTI, Frater Contucci (3), pro tua perpetua consuetudine et benignitate, quod Fabianum (4) spectatum in iudiciis civilibus, frequentem in forum, meum

(1) Cornelius Repentinus præfectus fuit Urbi, et gener Didii Iuliani imperatoris, ut in huius vita narrat Spartianus p. 89. D. Apud Gruterum p. LXV. 5. legitur hæc inscriptio in hortis D. Sebastiani extra Romam reperta:

SILVANO. SANCTISSIMO
CORNELIUS. REPENTINUS. V. C. FECIT.

(2) Ita perspicue Codex FR· PR· Quod si scriptum fuisset PR· PR explicavissem *Proprætori*. Porro FR· interdum significat *Fratrem*. V. Ursatum *de Notis romanorum* p. 191. b. Fratrem autem statim vocat Repentinum Fronto.

(3) V. Fragmentum Epistulæ XIII. Libri ad Pium, quamvis valde incertum est, ob evanidam scripturam, utrum illa Epistula scripta sit ad Contuccium. Ceterum hæc sine dubio est ad Cornelium Repentinum, quem Fronto dicit etiam *Contuccium*, de quo cognomine seu agnomine confer dicta ad Epist. V. Lib. I. ad Amicos p. 139. n. 1.

(4) Mustius Fabianus nobilis senator occisus indicta causa sub Severo Imp. memoratur a Spartiano in huius vita p. 101. C. Tum L Annius Fabianus consul fuit anno Urbis DCCCCLIV. Sed hic vix videtur familiaritate Frontonis potuisse uti.

familiarem ita tutatus es, ut ei existimationem incolumem conservares. Meritis tibi parem gratiam referundam Di immortales prospe . . . .

V. ARRIO ANTONINO (1)

MULTUM amicorum . . . . properare . . . . . censorio servaverim . . . . . . eram. Demonstratus est mihi a doctis et multum mihi familiaribus viris, quorum apud me voluntas ipsorum (2) merito valet plurimum. Igitur, si (3) me amas, tantum Volumnio (4) tribue honoris facultatisque amicitiæ tuæ complectendæ. *οἱ γὰρ φίλτατοι ἄνδρες* (5) conciliaverunt eum mihi.

(1) Videtur hic Arrius Antoninus iunior, qui sub Commodo imp. post Asiæ proconsulatum occisus est: qua super re vide disputata a nobis in Monito præposito Orationi pro Volumnio Sereno p. 295-296.

(2) Pronomen *ipse* non raro iungitur eleganter relativo *qui*.

(3) Ita Codex *si* pro *quantum*.

(4) Intellige Volumnium Serenum Concordiensem, de quo infra in Fragmento Causidicationis, quam pro eo Fronto conscripsit ad Arrium Antoninum.

(5) Iliad. ι 204.

Igitur tam comi amicitia accipias velim, quam ille (1) volebat, Me-(nœtiadi) ζωρότερον δὲ κέραιρε (2) quom imperabat.

VI. IIl. VIRIS ET DECURIONIBUS (3)

QUANTÆ mihi curæ . . . . multoque malim patriæ nostræ tutelam auctam, quam meam gratiam (4). Quare suadeo vobis patronos creare, et decreta in eam rem mittere ad eos qui nunc fori locum principem occupant, Aufidium Victorinum, quem in numero municipum habetis (5), si Di consilia

(1) Achilles.

(2) Iliad. ι 203.

(3) Nempe urbis Cirtæ, ut apparet infra. Porro etiam Cicero *ad Famil.* Lib. XIII 76. scribit Quattuor Viris et Decurionibus.

(4) IIl. Viri et Decuriones Cirtenses Frontonem oraverant ut Patriæ nescio quo in negotio patrocinium exhiberet: quibus ipse excusat graviorem suam ætatem et valetudinem, suadetque vigentiores patronos eligere.

(5) Aufidius Victorinus ducta unica Frontonis filia transiit in eiusdem Frontonis familiam: quare et in Inscriptione Pisaurensi (vide inferius p. 200.) Victorini Nepos dicitur *M. Aufidius Fronto*. Hinc

mea iuverint: nam Filiam meam despondi ei. Nec melius aut mihi posteritatem, aut meæ filiæ in omnem vitam consulere (1) potui, quam cum talem mihi generum illis moribus tantaque eloquentia elegi (2). Servilium quoque

---

noster Orator iure dicit Aufidium Victorinum ob id matrimonium fieri quoque municipem Cirtensem. Itaque προληπτικῶς tantum dictus est a nobis *Cirtensis* Aufidius Victorinus in Commentario prævio Part. I. Cap X Ceterum Aufidiam gentem Hannibal Oliverius Pisaurensem fuisse suspicatus est ad Marm. Pisaur. p. 161., præsertim ex Inscript. Pisaur. XXXIV. Idem p. 160. monet, Aufidium Victorinum in Inscriptionibus, quas profert, carere prænomine: ita prorsus se res habet etiam in scriptis his Frontonianis.

(1) Nota loquutionem *consulere mihi posteritatem*.

(2) Mores Aufidii Victorini prolixe commendat Fronto in Epist. II. de Nepote amisso. In excerptis autem Dionis Lib. LXXII. 11. celebratur præcipue eius abstinentia ab accipiendis muneribus quum gereret magistratus. Victorini item eloquentiam celebrant Fronto et Dio locis nuper laudatis, et a Dione quidem Victorinus dicitur *τῇ τῶν λόγων παρασκευῇ οὐδενὸς τῶν καθ' ἑαυτὸν δεύτερος γενόμενος*, *facultate dicendi suæ ætatis nemini secundus*. Nullus autem dubito quin Victorinus institutus sit in litteris a Frontone. Quippe iam monui (ad Epist. I. Lib. I. ad Marcum p. 40. n. 1.) Victorinum condiscipulum Marci fuisse, qui Frontonis fuit discipulus.

Silanum (1) optimum et facundissimum virum iure municipis (2) patronum habebitis, cum sit vicina et amica civitate Hippone regio. Postumium Festum (3) et morum et eloquentiæ nomine recte patronum vobis feceritis, et ipsum nostræ provinciæ et civitatis non longinquæ. Horum patronorum non mediocrium . . . familiares essent . . . . vicinia . . . . adesse

---

(1) Servilium Silanum inter occisos a Commodo recenset Lampridius in huius vita p. 71. A. Certe *Silano*, qui fuit consul alter anno decimo Commodi imp., plerique recentes Auctores (in Continuatione Fastorum Sigonii) nomen faciunt *Servilium*.

(2) Ita Cod. *municipis* aut *municipiis*.

(3) Postumium Festum cum Frontone nostro fabulantem inducit Gellius XIX. 13. » Stabant forte » una in vestibulo Palatii fabulantes Fronto Cor- » nelius et Festus Postumius, et Apollinaris Sul- » picius ». Barthius Adv. Lib. II. Cap. 3. suspicatur Postumium Festum eumdem esse ac Pompeium Festum grammaticum præstantissimum, cuius exstant Libri XX. Siquid Barthii coniecturæ pro ea opinione valent, Festi quidem grammatici ætas iam patebat ex Gellio loco citato: at ex hac Frontonis Epistula non solum illius ætas, verum etiam patria innotescit; nempe eum fuisse Numidam et civitatis a Cirta metropoli non remotæ.

adversus rem . . .nolint . . . . dicam. Quoad ætas mihi et valetudo integra fuit, negotia . . . . . . sunt. . . . . . et ætate . . . . . *Coloniam* nostra*m* (forensium) et iuniorum præsidiis esse fundatam. Nec . . . . nere quantus . . . . nostra . . . . virum popularem habeamus, et virum consularem ius publicum respondentem. Ego quoque, ut spero, quoad ætatis vis viguit, in officiis civilibus non obscure versatus sum. Alii quoque plurimi sunt in senatu Cirtenses (1) clarissimi viri. Postremus est honor maximus, tres vestri cives . . . . sed etiam suave est . . . . utor quo . . . . . sed vos melius est iam nunc interdum . . . . quantum . . . .

---

(1) Ex hoc loco confirmatur, Frontonis patriam fuisse Cirtam: quod quum iam satis constaret ex Minutio Felice, Galli tamen aliquot recentiores Genti suæ, ut fit, festive blandientes eum Aquitanum fuisse dixerunt. Sed nos de hoc capite egimus in dissertatione, quam his scriptis Frontonianis præposuimus.

VII. III. VIRIS ET DECURIONIBUS

MEÆ gloriæ totius . . . .
. . . .

VIII. (CAVIO MAXIMO) (1)

. . . .

IX. ARRIO ANTONINO

GRATUL(OR) . . . . plerosque . . . . .
. . . .

X. ARRIO ANTONINO

VALERIUS Clitianus . . . .
. . . .

XI. ARRIO ANTONINO

SICUT eos qui (2).

(1) De Cavio Maximo vide dicta ad Epistt. IV. et VII. Libri ad Pium.

(2) Vide hanc Epistulam, seu potius Causidicationem, inter Fragmenta Orationum Frontonis.

·M· FRONTONIS

DE FERIIS ALSIENSIBUS (1)

I. MAGISTRO MEO

FERIAS apud Alsium quam feriatas egerimus, non scribam tibi, ne et ipse angaris, et me obiurges, mi Magister. (Lorium) (2) autem regressus Cumnulam (3)

(1) Alsium fuit oppidum Etruriæ non longe ab ostiis Aronis fluminis. Locum pressius designat Antonini Itinerarium p. 300. » Iter a Roma per » portum Centumcellas M. P. LXVIIII. In Portum » M. P. XVIIII. Fregenas M. P. IX. Alsio M. P. IX. » Villas Alsienses memorant Cicero *pro Mil.* XX. *ad Famil.* IX. 6. Plinius Epist. X. Lib. VI. Valerius Max. Lib. VIII. Cap. I. *Damn.* 7. Illuc quum feriandi gratia secessisset M. Aurelius, nata est ei et Frontoni occasio hasce mutuas Epistulas conscribendi.

(2) De Lorio recole dicta ad Epist. VIII. Lib. II. ad Marcum. Ea villa scilicet sita erat inter Romam et Alsium.

(3) *Cumnulam.* Ita prorsus mihi legere videor in Codice. De filiabus Marci dixi aliquid ad Epist. V. Lib. I. ad Marcum n. 3. Sane Marco filias complures natas fuisse narrat Herodianus in exordio

meam.... febricitantem repperi. Medicus dicit, si.... cito nobis me .... tu quoque .... valeas .... *lætior* sim. N(am) oculis spero te(cum lau)dem sanis, et.... Vale mi Magister.

II. DOMINO MEO ANTONINO AUGUSTO

FERIAS Alsienses.... misi ... ni ... in nobellæ. Quid cantetur viniæ atque ...

Libri I. Τῷ *βασιλεύοντι Μάρκῳ θυγατέρες ἐγένοντο πλείους*. Nonnullarum nomina etiamnum in Veterum scriptis aut monumentis supersunt. Præter *Lucillam* satis celebrem, memorantur *Vibia Aurelia Sabina* apud Gruterum p. CCLII. 8. *Fadilla* apud Muratorium p. CCXLII. 3. *Domitia Faustina* apud Mabillonium Analect. vet. edit. nov. p. 363. Quinta sit igitur certi nominis filia Marci *Cumnula*. Pagius quidem ad annum Chr. 180. inter filias Marci recenset etiam *Lucillam minorem*, quæ nupserit Pertinaci. Verum is græcum textum Herodiani Lib. IV. cap. 6. (seu potius 11.) unde eam notitiam hausit, non satis consideravisse videtur. Alius est enim ibi filius Pertinacis, alius Lucillæ filius: uterque autem, non unus idemque, a Caracalla occisus est. Res evidenter constat ex Spartiano in *Caracalla* p. 127. D. ubi dicitur: » Occidit (Caracalla) Pom» peianum Marci nepotem ex filia natum, et ex

quid multarum rusticarum. Catonem quoque in Oratione adversus Lepidum (1) verbum cantari solitum commemorasse, cum ait: STATUAS POSITAS OCHÆ ATQUE DIONYSIDORO EFFEMINATIS, QUI MAGIRAS FACERENT (2). Id in . . . . velint post redire . . . . .

„ Pompeiano cui nupta fuerat Lucilla post mortem „ Veri Imperatoris „ . Tum p. 128. C. „ Helvium „ Pertinacem suffectum cos. ob hoc solum, quod „ filius esset imperatoris occidit (idem Caracalla) „. Ergo Spartianus et Herodianus loquuntur de una eademque Lucilla Veri primum, deinde Pompeiani uxore. Igitur *Lucilla minor* fictitia.

(1) Gellius, Nonius, Festus, Charisius, Priscianus plures laudant Catonis Maioris Orationes: Orationem tamen huius adversus Lepidum apud eos non vidi citatam. Sed enim Catonis quoque nepotis Orationes exstitisse exploratum est. Quin et Cato Uticensis orator fuit: atque hic adolescens quidem adversus eum Lepidum dicere potuisse videtur, qui bellum patriæ intulit anno Urbis DCLXXVII. Certe Cato Uticensis familiaris fuit Lutatii Catuli contra quem Lepidus bellum civile conflavit (V. Plutarchum in *Catone* Edit. Londin. 1723. Tom. IV. p. 230.). Obiter noto, adversus hunc Lepidum L. quoque Philippi exstare Orationem apud Sallustium in Fragmentis Libri I. Historiarum.

(2) Arbitrari licet hæc esse ipsius verba Catonis. Codex autem habet evidenter MAGIRAS.

in ea.... facit. Opportune.... brum.... rim cantandi ludendique initium capiunt. Et.... paravit....................

III. Domino meo Antonino Augusto

Quid? Ego ignoro ea te mente Alsium isse, ut animo morem gereres, ibique ludo et ioco et otio libero per quattriduum universum operam dares? Nec dubito quin te ad Ferias in secessu maritimo fruendas ita compararis. In sole meridiano ut somno obœdires cubans. Deinde Nigrum (1) vocares, libros intro ferre iuberes. Mox ut te studium legendi incessisset, aut te Plauto expolires, aut Accio expleres, aut Lucretio delenires, aut Ennio incenderes (2) in horam ist(ic)

(1) Lampridius in *Commodo* p. 70. B. memorat Nigrum, qui sub eo Imperatore præfectus prætorii sex horis fuisse perhibetur.

(2) Nota laudem quam his principibus poetarum Fronto tribuit, quorum Plautum dicit *politum*, Accium *plenum*, Lucretium *delenientem*, Ennium *ardentem*.

musarum propriam quintam. Re(dires)... inde libris .... mitteres. Ciceronis si sermones ad te detulisset, audires .... in devi(um) quantum poteris litus pergeres, et raucas pa*ludes* ambires ..... vel, si videretur, aliquam navem conscenderes, vel æthere tranquillo in altum *provectus* portisculorum et remigum visu audituque te oblectares. Actutum inde balneas peteres, corpus ad sudorem uberem commoveres: convivium deinde regium agitares conchis omnium generum, plautino PISCATU HAMATILI, ut ille ait (1), ET SAXATILI, altilibus veterum saginarum, mattiis (2), pomis, bellariis, crustulis, vinis felicibus, calicibus perlucidis sine delatoria nota. Quid hoc verbi sit quæras fortasse. Accipe igitur. Ut homo ego multum facundus et Senecæ

(1) Rud. 2. 1. 10.

(2) Ita Cod. *mattiis* pro *mattyis*. Nisi forte est adiectivum, nempe *mattiis* pro *mattianis pomis*.

Annæi sectator (1), Faustiana vina (2) de Sullæ Fausti (3) cognomento felicia appello: calicem vero sine delatoria nota cum dico, sine puncto dico. Neque enim me decet qui sim iam homo doctus, volgi verbis falernum vinum aut calicem acentetum (4) appellare. Nam qua te dicam

---

(1) Ironice id dicit. Nam in Fragm. I. Lib. II. de Orationibus stilum Senecæ vehementer insectatur Fronto.

(2) Faustiana vina celebrat Plinius Histor. Lib. XIV. Sect. VIII.

(3) Syllam dictatorem tribus nominibus *Felicis*, *Epaphroditi*, *Fausti* insignitum tradit Appianus (Bell. civ. I. edit. Tollianæ p. 684-685). Hæc eidem nomina nummi confirmant (V. Eckhelium Doctrin. num. vet. T. V. p. 194.). Porro Sylla suos quoque liberos, marem *Faustum*, fœminam *Faustam* appellavit.

(4) Plinius Hist. Lib. XXXVII. Sect. X. ait: » Infestantur (crystalli) plurimis vitiis: scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica, præduro fragilique centro: item sale appellato. Est et rufa aliquibus rubigo: aliis capillamentum rimæ simile. Hoc artifices cælatura occultant. Quæ vero sine vitio sunt, puras esse malunt, ACENTETA appellantes «. *Centra* definit idem Plinius Lib. XVI. Sect. LXXVI. *duritiam clavo similem*. Quo in loco vide et Harduinum. *Crystallina*

gratia Alsium maritimum et voluptarium locum, et, ut ait Plautus, LOCUM LUBRICUM delegisse, nisi ut bene haberes genio, utique verbo vetere FACERES ANIMO VOLUP›. Qua (1), malum, VOLUP›? Immo si dimidiatis verbis verum dicendum est, ubi tu animo faceres VIGIL›, vigilias dico: aut ut faceres LABO›, aut ut faceres MOLE›, labores et molestias dico (2). Tu umquam VOLUP›? Volpem facilius quis tibi, quam voluptatem conciliaverit. Dic, oro te Marce, idcirco ne Alsium petisti, ut in prospectu maris esurires? Quid? Tu Lorii te fame et siti et negotiis agendis adfligere

---

centra iterum nominat Plinius Lib. XXXVII. Sect. XXXIX. Hæc puncta seu centra calicum dicit Fronto *delatorias notas*. Usum *punctorum* in iudiciis indicat Asconius ad Orat. *pro Scauro*. » Scaurus ita abso-» lutus est, ut a tribubus damnaretur, a XXXII. » absolveretur, et in eis pauca *puncta* inter damna-» tionem et absolutionem interessent ».

(1) Ita Codex *Qua*.

(2) Decurtata interdum apud Veteres vocabula, indicat etiam Quintilianus I. 7. ubi ait: *Vesperug, quod vesperuginem accipimus*. Quo in loco vide et Notas. Sic apud Veteres etiam *capital*, *facul*.

nequibas? In apopsi (1) . . . . iucundiores tibi esse videntur. Memini me ad (vos) . . . . pueros in balneis esse . . . . rescribas . . . liber . . . te non . . . per . . . quis. . . favor. . . ne. . . gravi. . . Mare ipsum aiunt, ubi Alcedonia (2) sint, fieri feriatum. An alcedo cum pullis suis tranquillo otio dignior est, quam tu cum tuis liberis? . . . At enim res plane iam postulat; num

---

(1) Ita evidenter Codex *In apopsi*. Suspicor autem esse ipsissimum græcum vocabulum ἀπόψις, quo utitur Plutarchus (in Comparat. Cimonis cum Lucullo) ad indicandas Luculli *speculas*: τοὺς ἐν Νεαπόλει θαλάμους καὶ τὰς περικλείστους ἀπόψεις, *Neapolitana conclavia et circumfusas undis speculas*. Certe H. Stephanus hanc Plutarchæi loci explicationem non improbat, sic enim ait: » Quidam eo nomine » accipiunt cœnationes et diætas, vel etiam xystos » circumclusos, unde despectus erat in vivaria et » stagna «. Dicit igitur Fronto aliquam apopsim, nempe *speculam*, regiæ villæ Alsiensis.

(2) Confer Plautum Pœnul. I. 2. 142-143. Item Casin. Prolog. v. 26. ubi Servii nota in Edit. Gronoviana: (ALCEDONIA) Hæ aves nidos faciunt in » mari, media hyeme, quibus diebus tanta est tran» quillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri. » Inde etiam *dies Halcyonii* vocantur «. Eadem dicit Varro de ling. lat. Lib. VI. Cap. 5.

(studium)? num laborem? num . . . . . . Quis arcus perpetuo intenditus (1), quæ fides perpetuo suo strictæ sunt (oculi coniugio . . . durant) qui uno obnixi obtutu interissent. Hortus, qui crebro pangitur, ope stercoris indiget, herbas et holuscula nihili procreat. Frumento vero et solidis frugibus requietus ager deligitur *, ubertas soli otio paratur. Quid Maiores vestri qui remp. et imperium romanum magnis auctibus auxerunt? Proavus vester (2) summus bellator, tamen histrionibus interdum se delectavit, et præterea potavit satis (3); strenue tamen eius opera populus romanus in triumphis mulsum sæpius bibit. Avum item vestrum doctum principem et navum orbis terrarum non regendi tantum,

* *In margine*: eligitur.

(1) Sic Cod. *intenditus*.
(2) Traianus.
(3) In Codice ipso interpungitur post *satis*.

sed etiam perambulandi diligentem (1), modulorum tamen et tibicinum studio devinctum fuisse scimus: et præterea prandiorum opimorum esorem optimum fuisse. Iam vero Pater vester divinus ille vir prudentia pudicitia frugalitate innocentia pietate sanctimonia omnis principum virtutes supergressus, tamen et palæstram ingressus est, et hamum * instruxit, et scurras risit **. Nihil de Caio

* *In margine*: theatrum (2).

** *In margine*: Traianus histrionibus delectatus et vino. Hadrianus modulorum et tibicinum studio. Antoninus et palæstram ingressus est, et theatrum instruxit, et scurras risit (3).

(1) Spartianus in Hadriano p. 12. C. » Peregri-» nationis ita cupidus fuit, ut omnia quæ legerat » de locis orbis terrarum, præsens vellet addiscere».

(2) Ita emendavit nescio quis, cui scilicet *hamus* nihil ad hunc locum facere videbatur. Capitolinus tamen in *Pio* p. 30. C. ait: » Amavit (Pius) histrio-» num artes, piscando se et venando multum » oblectavit ».

(3) Eadem de his Principibus dicuntur a Dione, Spartiano, et Capitolino.

Cæsare dico acerrimo Cleopatræ hoste *, nihil de Augusto Liviæ viro. Romulus ipse Urbis huius conditor (1) cum hostium ducem manu comminus conserta obtruncavit, cumque spolia opima Feretrio vexit (2), suo (3) ne tenui victu usum putas? Profecto neque esuriens quisquam neque abstemius animum induxisset virgines adultas de spectaculis rapere (4). Quid Numa senex sanctissimus? Nonne

* *In margine*: Caius Cæsar hostis Cleopatræ, post mœchus.

(1) Cod. *condictorem*.

(2) Rem eleganter narrat Propertius Lib. IV. Eleg. X.

" Nunc Iovis incipiam caussas aperire FeretrI,
" Armaque de ducibus trina recepta tribus.
" Acron Herculeus Cænina ductor ab arce,
" Roma, tuis quondam finibus horror erat.
" Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
" Romulus, et votis occupat ante ratis.
" Iuppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
" Voverat, et spolium corruit ille Iovi.

Vide et Livium Lib. I. Cap. X. Dionysium Halic. Lib. II. Cap. XXXIII.

(3) Codex videtur habere *suo*, sed fortasse legendum *tuo*.

(4) Sabinarum raptus indicatur.

inter liba et decimas profanandas, et suum taurilia mactanda ætatem egit, epulorum dictator, cenarum (1) libator, Feriarum promulgator? saturatum et feriatum dico. (Nunquid tu) esurialis ferias (2) celebras? Nec Chrysippum * tuum prætereo, quem quotidie (3) ferunt madescere solitum (4). Et pleraque ...... (posci. Habebo) .... Socratem ex

* *In margine:* De Chrysippo.

(1) Ita Cod. sine diphthongo. Porro de Numæ religionibus V. Livium Lib. I. Cap. XIX-XXII. Est autem opportunissimum exemplum Numæ, a quo Marcus ducebat originem, ut Capitolinus et Eutropius tradiderunt.

(2) *Esuriales feriæ*, quibus nempe esuritur, seu ieiunatur. Confer Plautum Captiv. 3. 1. 8.

(3) Sic Cod. hic *quotidie*. At alibi *cottidie* aut *cotidie*.

(4) Ebriosum hominem Chrysippum dicit etiam Laertius in eius vita, eumque in potationibus quiescere solitum, sola crura agitantem, unde illud festivum eius ancillæ: *Chrysippi sola crura ebria esse*. Immo in extremum morbum ex ebrietate incidisse, narratur ibidem. Fronto autem scribens ad M. Aurelium dicit, *Chrysippum tuum*, quia Marcus libris Chrysippi sive dialecticis sive rhetoricis, quos plurimos is philosophus scripsit, vehementer studebat, ut patebit infra ad Fragm. I. Lib. I. de

Socraticorum sumposiis (1) et dialogis (2) et epistulis (3) existimes hominem multum

---

Orationibus. Et Marcum quidem Stoicorum sectæ præcipue deditum fuisse constat ex Capitolino in eius vita p. 33. B. Iamvero post Zenonem ea secta nobiliorem neminem Chrysippo habuit. Chrysippum bis saltem nominat ipse Marcus in Opere *De rebus suis* Lib. VI. 42. et VII. 19.

(1) Intelligit Xenophontis et Platonis *symposia.*

(2) Præcipue Platonis.

(3) Socraticorum Epistulas nunc spurias iudicant, secus ac Allatius existimavit, eruditi viri plerique omnes, quos inter Gottfridus Olearius in Exercit. adv. Allat., Ioannes Pearsonius in Part. 2. Vindiciarum Ignatii Cap. I. Richardus Bentleius in Dissert. de Epistulis Socraticis. Et quidem Bentleius suspicatur conscriptas saltem post Athenæum, quoniam hic nusquam earum meminit. Sed ecce tibi Athenæo antiquior Fronto, qui Socraticorum Epistulas se nosse testatur: idque in codice apertissime legitur. Atque ego quidem Allatii sententiam de Socraticis Epistulis non propugno. Ceterum quanto vetustiores eæ probantur, tanto validius fit argumentum, quod ego duobus abhinc annis ex Epistula Socratica XXVIII. eduxi, cum eam opinionem adstruebam, primam nimirum Isocratis Epistulam scriptam videri tum ad Dionysium Siciliæ tyrannum, tum ad Philippum Macedoniæ regem. Vide, si placet, Appendicem I. ad Orationem Isocratis *de Permutatione* auctam, et post græcam Editionem, latine (quod attinet ad partem novam) primum excusam Mediolani MDCCCXIII.

scitum et facetum fuisse. Socratem intelleges Aspasiæ discipulum (1), Alcibiadi magistrum (2). Iam si bellum indixisti ludo, otio, satietati, voluptati; at tu dormi saltem, quantum libero homini satis est. Intensius ad supremam ... in ... ad luminis... An tandem si ignem de cælo nemo surrupuisset, sol non esset tibi satis ad iudicandum? Ne (3) cum animo tuo reputes, te mendacio adstringi, cum te diem cognitioni dare ais, et nocte cognoscis (4).

---

(1) De Aspasia sapiente fœmina, quæ Socratis in eloquentiæ studiis magistra fuit, vide Athenæum Libro V. p. 219.

(2) " Alcibiades (inquit Nepos in eius vita) " educatus est in domo Periclis, eruditus a So- " crate ". Quod attinet ad genitivum *Alcibiadi* vide dicta ad Epist. II. Lib. I. ad Marcum p. 42. n. 1. et Epist. IV. Lib. II. ad Verum p. 122. n. 1.

(3) *Ne* pro *næ*, ut et inferius p. 188.

(4) Hunc locum confirmant plane Dionis Excerpta Lib. LXXI. 6. Marcum nempe vacantem a bellis, ius constanter reddidisse, et latum spatium oratoribus ad dicendum concessisse: in causis diligenter perpendendis fuisse prolixum, deque una controversia dies sæpe XI. aut XII., aliquando etiam noctu cognovisse. Eodem pertinet quod narrat Capitolinus in *Vero* p. 56. A. nempe quum Verus in

Tum (1), sive condemnes sive absolvas, mendax futurus. Si quempiam condemnas, PARUM CAVISSE VIDETUR (2), ais. Istuc quidem, si lucernæ removeantur, nihil videri (3) poterit. At tu, obsecro, vel ioco vel serio te exorari a me patere, ne te somno defraudes, utique terminos diei et noctis serves. Agere de finibus apud te iudicem duos claros et nobiles Vesperum et Luciferum * puta. Utrique

* *In margine*: De Lucifero, de Vespere, et Somno.

villa quadam ingenti luxuria debaccharetur, venisse ei in mentem Marci quoque invitandi„qui venit ut Fra„ tri venerabilem morum suorum et imitandam osten„ deret sanctitudinem: et quinque diebus in eadem „ villa residens, cognitionibus continuis operam de„ dit, aut convivante Fratre, aut convivia comparante„.

(1) Cod. *Tuum.*

(2) Ita diserte Codex PARUM CAVISSE VIDETUR. Hanc autem fuisse veram damnationis formulam constat etiam ex Festo in voc. *Parum* Quem Festi locum male quidam Eruditi corruperunt supponentes *patravisse τῷ parum cavisse*, ut iam notavit Scaliger. Ea corrupta formula recepta est etiam a Sigonio *de Iudiciis* Lib. II. Cap XXII.

(3) Ludit Fronto in duplici sensu verbi *videri*, quod verbum apud Veteres in ferendis sententiis sollemne fuit.

demonstrationem sui quisque limitis ostendunt. Horum cognitioni interesse postulat Somnus. Nam se quisque adfinem esse negotio, et adtingi iniuria ait. Vellem autem tantum mihi vigoris aut studii adesse, quantum adfuit cum illa olim nugalia conscribsi, LAUDEM FUMI ET PULVERIS (1). Ne ego SOMNI LAUDEM summis opibus conscripsissem! Nunc quoque si tibi fabulam brevem libenti est audire, audi.

* Iovem Patrem ferunt cum res humanas a primordio conderet, ævum vi medium uno ictu percussum in duas partis undique paris diffidisse. Partem alteram luce, alteram tenebris amicisse: diem noctemque appellasse (2): noctique otium,

* *In margine* : Fabula de Somno.

(1) Huius Opusculi Fragmenta nos infra exhibemus. Interim nota, ea ludicra scripsisse Frontonem multo ante has Epistulas Alsienses.

(2) Nota quam hæc congruant cum divina Moysis Historia *Genes*. I. 3. 4. 5.

diei negotium tradidisse. Tum Somnus necdum natus erat, et omnes pervigiles ætatem agebant. Sed quies nocturna vigilantibus pro Somno fuerat promulgata. Paulatim deinde, ut sunt ingenia hominum inquieta, agitandi ac turbandi cupida, noctes diesque negotiis exercebant, horam otio nullam impertibant. Tum Iovem ferunt, ubi iam iurgia et vadimonia nocturna sisti, et noctes quoque comperendinari videat (1), cum corde suo agitasse de suis germanis Fratribus unum præficere, qui nocti atque otio hominum curaret. Neptunum multas et graves curas maritimas causatum, ne fluctus terras totas cum montibus obruerent, neve moti venti cuncta funditus percellerent, silvas et sata radicitus haurirent. Ditem quoque Patrem causatum multa opera, multaque cura templa infera ægre coerceri, amnibus et paludibus et stagnis

(1) Ita Cod. *videat*. Dic, si placet, *videbat*.

stygiis Acheruntem ægre commœniri. Canem denique custodem apposuisse umbris territandis, quæ aufugere ad superos cuperent: eique Cani trinas latrandi fauces ac trinos hiatus, trinasque dentium formidines addidisse. Tum Iovem Deos alios percontatum, animadvertisse gratiam vigiliæ aliquantum pollere (1): Iunonem plerosque partus nocturnos ciere: Minervam artium atque artificum magistram multum vigilari velle: Martem nocturnas eruptiones et insidias mutare iuvare. Venerem vero et Liberum multo maxime pernoctantibus favere. Capit tum consilium Iuppiter Somni procreandi, in Deûm numerum adsciscit, nocti et otio præficit (2), eique claves oculorum tradit. Herbarum quoque sucos, quibus corda hominum Somnus sopiret, suis Iuppiter manibus temperavit. Securitatis et voluptatis herbæ de cæli nemore

(1) Nempe (ut puto) plures esse vigiliæ utilitates.
(2) Cod. videtur habere *prœtegit*.

advectæ, de Acheruntis autem pratis leti (1) herba petita. Eius leti guttam unam aspersisse minimam, quanta dissimulantis lacrima esse solet. Hoc, inquit, suco soporem hominibus per oculorum repagula inriga: cuncti, quibus inrigaris, ilico post procumbent, protinus viribus tuis immobiles iacebunt: tum tu ne timeto, nam vi veniet (2) paulo post. Ubi evigilaverint, exsurgent. Post id Iuppiter alas, non ut Mercurio talares, sed ut Amori, umeros (3) exaptos Somno adnexuit. Non enim te (soleis) (4) aut talari ornatu ad pupulas hominum et palpebras incurrere oportet curruli strepitu et cum fremitu equestri, sed placide et clementer pinnis teneris in modum hirundinum advolare, non, ut columbæ, alis

---

(1) *Letum* proprie est *oblivio* ut docent Varro *de Lingua lat.* Lib. VI. 3. et Festus.

(2) Nempe sopor.

(3) Ita sine adspirata etiam in Epist. V. Libri ad Pium p. 11. ubi vide et notam 3.

(4) Cod. videtur habere *solis*.

plaudere. Ad hoc, quo iucundior hominibus Somnus esset, donat et multa somnia amœna, ut quo studio quisque devinctus esset: ut histrionem in somniis fautor spectaret, ut tibicinem audiret, ut aurigæ agitandi *strategemata* (1) monstraret. Milites somnio (2) vincerent, imperatores somnio triumpharent, peregrinantes somnio domum redirent. Ea somnia plerumque ad verum (3) convertunt (4). Igitur, Marce, siquo tibi somnio

---

(1) Supplendum videbatur *strategemata* aut *artem*, aut aliud eiusmodi.

(2) Cod. *somno*, sed corrigitur ex subsequentibus.

(3) Cod. *adversum*, at sequentia suadebant ut emendaremus *ad verum*.

(4) Innuit Fronto morem Veterum petendi oracula per incubationem. De huiusmodi oraculo Amphiarai vide Pausaniam in *Atticis* XXXIV. De luco Fauni hæc canit Virgilius Æneid. VII. 86. et seqq.

» Huc dona sacerdos
» Quum tulit et cæsarum ovium sub nocte silenti
» Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
» Multa modis simulacra videt volitantia miris,
» Et varias audit voces, fruiturque Deorum
» Colloquio.

Vide ibi et Servii notam v. 85. Confer etiam Aristophanem in *Pluto* Act. III. Sc. 2.

hinc opus est, censeo libens dormias tantisper, dum quod cupis quodque exoptas vigilanti tibi contingat (1).

Sed quod magis ad rem facit, ipsum Frontonem constat non mediocriter hac superstitione fuisse imbutum. Is enim arthriticus, curatione a Diis petita, ut narrat Artemidorus *de Somniis* IV. 24., visus sibi per somnium est valetudinis mox levandæ auspicium capere. Vide eum locum Artemidori inter testimonia Veterum de Frontone, quæ nos in dissertatione prævia exhibuimus.

(1) Hic desinit sine dubio Epistula III. nam in eadem codicis pagina sequitur proxime alia Epistula. Sed tamen *Somni Laudes* a Frontone compositæ, non plane cunctæ Scripto hoc comprehenduntur. Nam M. Aurelius in ea Epistula (secunda scilicet Libri I. ad Marcum) qua Frontonianis omnibus argumentis pro Somno respondet, ait: Frontonem sibi scripsisse, Q. Ennium ex somno et somnio initium sibi fecisse, Hesiodumque pastorem dormientem, poetam esse factum. Iam vero nihil horum in hac Frontonis Epistula. Tum in Fragmento I. Libri I. de Orationibus ait Fronto magistrum Ennii fuisse Homerum et Somnum. Nullus autem dubito, quin Fronto id utrumque coniunctim prolixeque asseruerit in Epistula *de Laudibus Somni*, quandoquidem Marcus loco nuper citato sumit ab Homero argumenta adversus Somnum, tum transit ad Q. Ennium. Patet ergo, Frontonem alteram saltem addidisse Epistulam, qua *Somni laudes* fuse persequebatur. Sed hæc, ut alia multa Frontonis Opera, a lacero obliterato et mutilo nostro Codice abest.

IV. » ANTONINO AUGUSTO
FRONTO » (1)

.... nullius ante, nisi unius Caii Sallustii trita solo sensum dictu periculosum et pæne opstetricium pulcherrimo cultu et honestissimo ornatu protulisti. Εὔφρανας ὑπερεύφρανας, σώζεο μοι. Quod

(1) Supplevi inscriptionem. Ex clausula autem huius Epistulæ comparata cum Epistula VI. Alsiensi, duo certissime eruuntur, nempe et Frontonis esse ad M. Aurelium hanc Epistulam, et unam ex Alsiensibus. Nam quod hîc ait Fronto, se videlicet digitis consuluisse, id scribit in Epistula VI. Marcus, se in eius Epistula Alsiensi sibi missa legisse. Scribit autem ibi Marcus: *Legi litteras Alsienses*. Tum subiicit: *Quid est quod in fine Epistulæ manum* (vel manui) *consuluisse dicis*? Iam hæcEpistula, quam nos facimus quartam, sine dubio non est pars primæ aut secundæ aut tertiæ aut sextæ; eæ enim in codice inter se mutuo consequuntur, continuoque ordine scriptæ sunt. Neque rursus est pars quintæ: nam quiuta in eadem codicis pagina huic ipsi, quam dicimus quartam, subiicitur. Huic autem loco hanc et sequentem Epistulam inseruimus, quia Epistula M. Aurelii, quæ in codice quartam sedem occupat, in postremum potius locum reiicienda videbatur.

librari manu Epistula scribta est, a labore gravi digitis consului, qui sunt iam in suspicione (1).

V. Antonino Augusto Fronto

Quid .... scrutetur .... qua ..... propera ..... Neque balbam virginem quæ Vestalis sit capi fas est (2), neque sirbenam (3) .... Verba de balbuttientibus ponenda varie ... Balbuttientium *vitium*

---

(1) Nempe: *quos suspicor articulorum dolore mox vexatum iri.*

(2) Consonat Gellius I. 12. » Qui de Vestali vir» gine capienda scripserunt, negaverunt capi fas » esse quæ *lingua debili* sensuve aurium diminuta » aliave qua corporis labe insignita sit. *Capi* autem » virgo propterea dici videtur, quia pontificis ma» ximi manu prehensa ab eo parente, in cuius » potestate est, veluti bello capta abducitur ».

(3) Nota latinum vocabulum *sirbenus*, cuius significatio petenda est e græco *συρβηνεὺς* (quare etiam scribendum videbatur *syrbenus*). Est autem *συρβηνεὺς qui confuse et incondite loquitur.* Hinc illud adagium *συρβήνης χορὸς* apud Schottum Z. 6. 1. S. 13. 1. St. 962. Vide ibi et Schotti notas. *Syrbenœorum chorum* diserte definit Athenæus Lib. XV. p. 697. *ὧν ἕκαστον τὸ δοκοῦν ἑαυτῷ κατᾷσαι δεῖ, προσέχοντα οὐδὲν τῷ*

his ferme verbis significatur *: vox impedita, vox vincta, vox difficilis, vox (fracta), vox inperfecta, vox absona. His contraria quærenti tibi subvenisse certum habeo: vox expedita, vox absoluta, vox facilis, vox (perita), vox (amabilis). Tua vox . . . vere . . . non . . . his omnibus . . . .

VI. Magistro meo Salutem

Modo recepi Epistulam tuam, qua confestim fruar. Nunc enim imminebant officia δυσπαραίτητα. Interim, quod cupis, mi Magister, breviter ut occupatus

* *In margine*: Quibus vocabulis appellentur sirbeni.

προκαθημένῳ καὶ διδάσκοντι τὸν χορὸν, in quo singuli canunt quidquid visum fuerit, nihil auscultantes quid cantet chori ductor ac præcentor. Immo *συρβήνης* est a *σύρβη*, qua voce in v. lex. dicuntur uti subulci ad sues. Vide etiam Hesychium, Etymologum, et Suidam.

Parvolam (1) nuntio nostram melius valere, et intra cubiculum discurrere.

Dictatis his, legi Litteras Alsienses meo tempore, mi Magister, cum alii cenarent, ego cubarem tenui cibo contentus hora noctis secunda (2). Multum, inquis, cohortatione mea (3); multum, mi Magister: nam verbis tuis adquievi, sæpiusque legam ut sæpius adquiescam. Ceterum verecundia officii quam sit res imperiosa (4), quis te magis novit? Sed, oro te, illud quid est, quod in fine

---

(1) Nempe *Cumnulam*, de qua recole Epist. I. Alsiensem.

(2) In Excerptis etiam Dionis Lib. LXXI. 6. dicitur Marcus tenuissimo cibo usus, eumque ipsum noctu semper cepisse, numquam interdiu.

(3) Nempe: *multum, inquis, cubes, me hortatore*. Cui respondet Marcus: *multum sane cubabo, nam* etc. Nisi quis malit explicare: *multum inquis cohortandi mei causa, multum mi Magister: nam* etc.

(4) Dicit Marcus se verecundia officii sui, et personæ regiæ quam sustinebat, ad satagendum vigilandumque compelli. Quod de Marco vehementer confirmant Excerpta Dionis loco nuper laudato: φιλόπονος ἦν, καὶ ἀκριβῶς πᾶσι τοῖς τῇ ἀρχῇ προσήκουσι προσεφέρετο, *laboris amans (Marcus) erat, seque diligenter ad officia principis intendebat.*

Epistulæ manum consuluisse (1) dicis? Illatenus dolueris, mi Magister, si me compotem voti boni *Di* (2) faciunt. Vale, mi Magister, optime φιλόστοργε ἄνθρωπε.

·M· FRONTONIS

DE FERIIS ALSIENSIBUS

explicit

---

(1) Cod. *consoluisse*. Recole autem Epistulam IV. Alsiensem, p. 195. ibique notam nostram 1. Immo, ut ei loco melius hic responderet, scribendum esset *manui consuluisse*.

(2) Supplevi *Di*. Boni quidem dicuntur sæpe *Dii* apud Veteres, coniunctim tamen, nempe *Dii boni*: nam absolute *Boni* pro *Dii*, non memini me videre. Hoc nihilominus loco vel incaute omissum est *Dii* aut *Di*, vel *Boni* poni videtur absolute pro *Di boni*. Quod si *boni* adiungas τῷ *voti*, carebit nominativo verbum *faciunt*., nisi præponas *Di*. Marcus quidem (in Epist VII. Lib. I. ad Marcum) eamdem pene sententiam his verbis protulit: *O qui ubique estis Di boni, valeat, oro, meus Fronto.*

Denique moneo, totam hanc Epistularum Alsiensium disputationem *pro honestis oblectationibus et somno* scriptam esse a Frontone adversus Stoicorum dogmata, quibus Marcus studebat. Et de eius quidem sectæ ὑπνομαχίᾳ Veteres multa tradiderunt. V. gr. Persius Sat. III. 53.

Quæque docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus; insomnis quibus et detonsa iuventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polentâ.

·M· FRONTONIS

DE NEPOTE AMISSO (1)

I. MAGISTRO MEO SALUTEM

MODO cognovi de casu. Cum autem in singulis articulorum tuorum doloribus torqueri soleam, mi Magister, quid opinaris me pati cum animum doles? Nihil conturbato mihi aliud in mentem venit,

(1) Luget Fronto in hoc Libro Nepotem amissum. Patet autem inferius hunc natum ex Aufidio Victorino genero et Filia Frontonis, periisse in Germania, dictumque fuisse *Decimanum*. Ex Epistula autem VII. Libri I. ad Verum constat eumdem periisse trimulum.

Ex Aufidio Victorino et Filia Frontonis duo saltem masculi liberi procreati sunt, ut patet ex Epistula huius Libri secunda. Alter est is, de cuius obitu in hoc Scripto agitur: alter M. Aufidius Fronto, qui anno Urbis DCCCCLII. cum P. Cornelio Anulino consulatum gessit. Hic quoque filium amisit, nepotem ideo Aufidii Victorini, pronepotem Frontonis oratoris. Huius exstat sepulchrum Pisauri, cuius epigraphem, cum plures, tum omnium accuratissime illustravit Hannibal Oliverius. Est autem

quam rogare te, ut conserves mihi dulcissimum Magistrum, in quo plura solacia vitæ huius habeo. Quæ (1) tibi tristitiæ istius possunt ab ullo contingere? Mea manu non scripsi, quia vesperi loto tremebat. Vale mi iucundissime Magister (2).

---

hæc sexagesima nona in Marmoribus Pisaurensibus. M. AUFIDIO. FRONTONI. PRONEPOTI. M. COR NELI. FRONTONIS. ORATORIS. CONSULIS. MA GISTRI. IMPERATORUM. LUCI. ET. ANTONINI NEPOTIS. (corr. NEPOTI) AUFIDI. VICTORINI PRÆFECTI. URBI. BIS. CONSULIS. FRONTO. CON SUL. FILIO. DULCISSIMO

Frontonis Filio, qui trimulus obiit, positus olim lapis inventus est in agro quoque Neapolitano, cuius lapidis inscriptio exstat apud Gruterum p. DCXCV. 9. sed parentum nomina non congruunt. Eam tamen heic proferam. M. MARIO. PROCULO. VIX. ANN. III M. III. D. VIIII. M. MARIUS FRONTO. ET COSCO NIA. HYGEA. PARENT. INFELICISS. FILIO PIIS SIMO. FECERUNT. etc. Addo denique ex eodem Grutero p. CMXXXIII. 6. tertiam inscriptionem D. M Q. AUFIDIO. FRONTONI. LEIB. B. M. GN. DOMITI VS. FRONTO.

(1) Nempe *Quæ solacia.*

(2) Moneo, Marci hanc esse Epistulam, ut patet ex clausula Epistulæ II., qua Epistula huic Fronto respondet. Porro etiam Verus per litteras (recole VIII. Lib. I. ad Verum) Frontonem de Nepote amisso consolatus est.

II. Antonino Augusto Fronto

Multis huiusmodi mæroribus fortuna me per omnem vitam meam exercuit. Nam, ut alia mea acerba omittam, quinque amisi liberos miserrima quidem condicione temporum meorum. Nam quinque omnes unumquemque semper unicum amisi, has orbitatis vices perpessus, ut numquam mihi nisi orbato filius nasceretur. Ita semper sine ullo solacio residuo liberos amisi, cum recenti luctu procreavi (1). Verum illos ego

(1) Confer hunc locum cum Epistula VI. Lib. I. ad Amicos, quo loco etiam innuit Fronto se feminas tantum genuisse. Eæ filiolæ quum præmatura morte infantes exstinguerentur, una superfuit, quæ deinde Aufidio Victorino nupsit. Recte igitur Oliverius ad Marm. Pisaur. p. 160–161. ex eo quod nepos Victorini Aufidius Fronto, Cornelii Frontonis pronepos dicitur, coniectavit, cum eâ feminâ (Filiâ Cornelii Frontonis) in Aufidiam gentem Frontonis cognomen transiisse. Iure etiam suspicatus est, Oratoris Filiam patris hereditatem universam viro suo intulisse : quum vix verisimile videatur, si

luctus toleravi fortius, quibus egomet ipse solus cruciabar. Namque meus animus dolori obnixe oppositus, quasi solitario certamine unus uni resistebat. At nunc dolor *meus* dolore *alieno* multiplicatur, et cumulum meorum *alienorumque* luctuum ferre nequeo. Victorini mei lacrimis tabesco conliquesco. Sæpe etiam expostulo cum Dis immortalibus, et fata iurgio compello. Victorinum pietate, mansuetudine, veritate, innocentia maxima, omnium denique optimarum artium præcipuum virum (1) acerbissima

Oratori filii, aut nepotes superfuissent, ad quos propius illius laus pertinuisset, M. Aufidium Frontonem in Inscriptione Pisaurensi Oratoris pronepotem dictum fuisse.

(1) De laudibus Victorini recole Epistulam VI. Lib. II. ad Amicos ibique notam nostram 5. p. 169. Porro (quod monere vix opus erat) longe alius est Fabius Marius Victorinus, quamvis et ipse Afer, qui sub Constantio imp. Rhetoricam Romæ docuit, et cuius exstat *Expositio in primum Rhetoricorum Ciceronis Librum.* De pluribus Victorinis lege, si placet, dissertationem Ioannis Launoii Operum eius Tom. II. P. I. p. 634. et seqq. cum Appendice.

morte Fili (1) adflictum? Hoccine ullo modo æquum aut iustum fuit, si providentia res gubernat? Hoc idem recte provisum est, si fato cuncta humana decernuntur? Hoccine fato decerni *par fuit*? Nullum ergo inter bonos ac malos fortunarum discrimen erit? Nulla dies (2), nulla fatis diiudicatio, quali viro filius eripiatur? Facinorosus aliqui (3) et scelestus mortalis, quem ipsum numquam nasci melius foret, incolumes liberos educit, in morte sua superstites relinquit. Victorinus vir sanctus, cuius similes quam plurimos gigni optimum publicum (4) fuerit, carissimo filio privatus est. Quæ, malum, providentia tam inique prospicit? Fata a fando appellata aiunt: hoccine est

(1) *Fili* pro *filii*.

(2) Nempe *adeo fata cæca sunt*. Vel refertur ad rem forensem.

(3) Maluissem *alioqui*. Ceterum *aliqui* pro *aliquis* non est admodum infrequens. Vide Interpretem nuper a nobis editum ad Orat. Tullii *pro Sylla* p. 80. cum nota 2. et p. 82.

(4) Ita plane Codex *optimum publicum*.

recte fari? Poetæ autem colus et fila fatis adsignant (1). Nulla profecto tam sit inportuna et insciens lanifica, quæ erili (2) togæ solidum aut nodosum, servili autem

---

(1) Parcæ dicuntur *Fata* etiam ab Apuleio in calce Operis *de Mundo*. Iuvat autem heic exscribere eum locum, utpote huic similem, et Auctoris eiusdem ac Fronto ætatis, ex eademque provincia Numidia oriundi: » Tria Fata sunt; numerus cum ratione tem- » poris faciens, si potestatem earum ad eiusdem si- » militudinem temporis referas. Nam quod in fuso » perfectum est, præteriti temporis habet speciem: » et quod torquetur in digitis, momenti præsentis » indicat spatia: et quod nondum ex colo tractum » est subactumque cura digitorum, id futuri et » consequentis seculi posteriora videtur ostendere. » Hæc illis conditio ex nominum eorumdem pro- » prietate contingit. Ut sit Atropos præteriti tem- » poris Fatum, quod ne Deus quidem faciet » infectum. Futuri temporis Lachesis a fine co- » gnominata, quod etiam illis quæ futura sunt, » finem suum Deus dederit. Clotho præsentis tem- » poris habet curam, ut ipsis actionibus suadeat, » ne cura solers omnibus rebus desit ». Obiter moneo, apud Ioannem Lucium in *Inscriptionibus Dalmaticis* unam Enonæ superstitem sic habere. D. M. S. APPULEIO. P. F. FRONTONI. AE. II VIR. Q. Q. PONT. SAE. MAXIMA. MARITO D. S. B. M. Quæ tamen epigraphe ad Madaurensem Scriptorem prorsus non pertinet.

(2) Ita sine adspirata, vetere orthographia.

subtile et tenue suptegmen neverit. Bonos viros luctu adfici, malos re familiari incolumi frui, neque mensum neque pensum fatorum lanificum duco. Nisi forte alius quidem nos error iactat, et ignari rerum, quæ mala sunt, quasi prospera concupiscimus: contra, quæ bona sunt, pro adversis aversamur: et mors, quæ omnibus luctuosa videtur, pausam laborum adfert et sollicitudinum et calamitatum, miserrimisque corporum vinculis liberatos ad tranquilla nos et amœna et omnibus bonis referta, animarumque conciliabula travehit (1). Hoc ego fas esse facilius crediderim, quam

(1) Ita Cod. *travehit*, ut in Epist. I. Lib. II. ad Marcum *tramisimus*. Confer Cellarium Orthograph. lat. Edit. Patav. 1724. p. 39. Porro pretium operæ fuerit conferre hunc nobilissimum Frontonis nostri locum cum illustri item Ciceronis (De Senect. XXI. et seqq.) super immortalitate et futura beatitudine animorum. Quo in loco Tullius (seu apud eum Cato) disputationem ex summorum philosophorum sententiis conflatam, ita concludit: » O præclarum » diem, cum ad illud divinum animorum concilium » cœtumque proficiscar, cumque ex hac turba » et colluvie discedam! »

cuncta humana aut nulla aut iniqua providentia regi. Quod si mors gratulanda potius est hominibus quam lamentanda, quanto quisque eam natu minor adeptus est, tanto beatior et Dis acceptior existimandus est: ocius corporis malis exutus, ocius ad honores liberæ animæ usurpandos exictus (1). Quod tamen verum sit licet, parvi nostra refert, qui desideramus amissos (2): nec quicquam nos animarum immortalitas consolatur, qui carissimis nostris dum vivimus caremus. Istum statum, vocem, formam, auram liberam quærimus: faciem defunctorum miserandam mæremus, os obseratum, oculos eversos, colorem undique deletum. Si maxime esse animas

(1) Videtur participium ab *exigo* pro *exactus*. Si mavis; factâ metathesi, scribe *excitus*.

(2) In eamdem sententiam scribit Cicero (Epist. XVI. Lib. V ad Famil.) ad Titium pari luctu affectum: » Quod si tuum te desiderium movet, » aut si tuarum rerum cogitatione mœres, non » facile exhauriri tibi istum dolorem posse uni» versum puto «.

immortales consteterit (1), hoc philosophis disserendi argumentum, non parentibus desiderandi remedium. Sed utcumque sunt ista divinitus ordinata, mihi quidem neutiquam diutinam adferent sollicitudinem, cui tam propinqua mors. Sive in æternum extinguimur, olim cupienti mihi tandem (2) . . . .
tu acerbi(ora) . . . neque arborum, neque

(1) Ita Cod. *consteterit.*

(2) Rursus idem Cicero (de Senect. prope finem) cum Frontone nostro consentit: » Quod si in hoc » erro, quod animos hominum immortales esse » credam, libenter erro: nec mihi hunc errorem, » quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin » mortuus (ut quidam minuti philosophi censent) » nihil sentiam; non vereor ne hunc errorem » meum mortui philosophi irrideant. Quod si non » sumus immortales futuri, tamen extingui homini » suo tempore optabile est ». Ceterum immortalitatem animorum disertissime tuetur Cicero etiam in Libro I. Tusculanarum, ubi hæc aurea præsertim dicta (Cap. XV) mirari licet: » Nescio quomodo » inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam » augurium futurorum; idque in maximis ingeniis, » altissimisque animis et existit maxime et apparet facillime ». Tum Cap. XVI. » Ut Deos esse » natura opinamur; sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium ».

... eodem tempore ... (h)eres tuus ... ad vindemiam .... isto tempore .... aspe(rius) nequivi præ fletu ac dolore. Meus etiam iam hinc me dulcissimus Nepos (1) quem ipse sinu meo educo, hic est profecto qui me magis magisque lacerat prorsus et excruciat. Nam in huius facie illum amissum contemplor, exemplum oris imaginor, sonum vocis eundem animo fingo. Hanc sibi dolor meus picturam commentatur. Verum defuncti voltum ignorans, dum verisimilem coniecto, maceror. Sapiet mea Filia (2): viro

---

(1) Hic est (ut arbitror) M. Aufidius Fronto, Victorini filius, qui anno Urbis DCCCCLII. consul fuit, ut dixi superius p. 199. n. 1. Hunc ipsum indicatum puto a M. Aurelio quum Frontoni scriberet (Epist. V. Lib. I. ad Marcum): *Nepotem saluta.* Qui autem obiit trimulus Frater, is natu minor fuisse ex hoc Epistulæ loco videtur.

(2) Filiam Frontonis Antonius Augustinus (de Famil. rom. in *Cornelia* prope finem) dicit *Aufidiam* ex nomine coniugis *Aufidii.* Oliverius (ad Marmor. Pisaur. p. 156. et 161.) *Corneliam* appellat ex nomine Patris *Cornelii.* Nos tamen ex Epist. V. Lib. II. ad Marcum coniectavimus vocitatam fuisse nomine ipso Matris *Gratiam.*

suo omnium quantum est hominum optimo adquiescet: is eam consolabitur pariter lacrimando pariter suspirando, loquendo pariter *et* conticiscendo (1). Senex ego parens (2) indigne consolabor: dignius enim foret ipsum me ante obisse. Neque ulla poetarum carmina aut sapientium præcepta tantum promoverint ad luctum Filiæ meæ sedandum et dolorem leniendum, quantum mariti vox (3) e carissimo pectore et iunctissimo profecta. Me autem consolatur ætas mea prope iam edita et morti proxima. Quæ cum aderit, si (4) noctis si lucis id tempus erit, cælum quidem consalutabo discedens, et quæ mihi conscius sum protestabor.

---

(1) Ita Cod. *conticiscendo* a *conticisco*, quod non caret aliis antiquitatis exemplis.

(2) Sive Nepos perierit in Marcomannico sive etiam in Cattico bello (qua de re infra), certe Fronto senex erat, ut ex Commentario (Part. I. Cap. XXIII.) quem nos eiusdem Scriptis præposuimus, constat.

(3) Cod. *uxor*, sed videbatur omnino corrigendum *vox*.

(4) *Si* pro *sive* non est inusitatum apud latinos Auctores.

Nihil* in longo vitæ meæ spatio a me admissum, quod dedecori aut probro aut flagitio foret: nullum in ætate agunda avarum, nullum perfidum facinus meum extitisse: contraque multa liberaliter, multa amice, multa fideliter, multa constanter, sæpe etiam cum periculo capitis consulta. Cum Fratre optimo concordissime vixi, quem Patris vestri bonitate summos honores adeptum (1) gaudeo: vestra vero amicitia satis quietum et multum securum video.

* *In margine*: Virum bonum qualem esse oporteat. Qualis Fronto fuerit.

(1) Multi in veteribus monumentis occurrunt Frontones honores magnos adepti. Apud Gruterum p. DLXXIII. 2. Iulius Fronto classis Misenensis præses Imp. Hadriano. Ibidem p. CCCCXXXVII. 1. Q. Marius Turbo Fronto Publicius Severus præfectus prætorio Imp. Hadriani. Sub eodem Imperatore Papyrius Fronto iurisconsultus floruit. Vide et alios Frontones illustres in nostro Commentario prævio Part. I. Cap. V. et in Fabricii Biblioth. lat. Ed. vet. Tom. III. p. 746. Obiter tamen moneo, non bene ibi Fabricium ab Oratore nostro distinguere Frontonem arthriticum qui apud Artemidorum IV. 24. laudatur Nam Frontonem nostrum fuisse arthriticum constat nunc ex

Honores quos ipse adeptus sum, numquam inprobis rationibus concupivi. Animo potius quam corpori curando operam dedi. Studia doctrinæ rei familiari meæ prætuli. Pauperem me * quam ope cuiusquam adiutum, postremo egere quam poscere

* *In margine* : Mire.

eius scriptis. Iam Fronto noster dicit Fratrem suum beneficio Antonini Pii summos honores adeptum. Qua de re scrutanti mihi, occurrebant plures nummi sub Pio cusi, in quibus Cl. Fronto dicitur Asiarcha. Vide Vaillantium Num. Gr. p. 47 et 59.

Apud Eckhelium (Doctr. num. vet.Tom. II. p. 508.) memoratur item similis nummus cum inscriptione Cl. Frontonis, editus in Cimelio Vindob. Part. II. p. VII. Nummus Pii, itemque nummus M. Aurelii adhuc Cæsaris quibus inscriptus est Cl. Fronto, exstant etiam in regio Museo Mediolanensi, eosque nos edidimus in Commentario prævio Part. I. Cap. X. Sed enim Frontonem Oratoris nostri fratrem, licet Afrum, consecutum esse a Pio Asiarchatum (qui certe fuisset summus honor) ego quidem adfirmare diserte non ausim. Præsertim cum Frontones quoque Pergamenos exstitisse sciam, siquidem Aristides Frontonis nostri æqualis, Genethliacon scripsit Apellæ nobilis Pergameni, Frontonis cuiusdam F.

manlui (1). Sumptu numquam prodigo fui, quæstui interdum necessario (2). Verum dixi sedulo, verum audivi libenter. Potius duxi neglegi quam blandiri, tacere quam fingere, infrequens amicus esse quam frequens adsentator. Pauca petii, non pauca merui: Quod cuique potui, pro copia commodavi. Merentibus promptius, immerentibus audacius opem tuli. Neque me parum gratus quispiam repertus segniorem effecit ad beneficia quæcumque possem prompte inpertienda. Neque ego unquam ingratis offensior fui ... eas ... mihi ... obæratos ... in re ... cum ... putavi. Cuperem equidem ... male ... Finem ... teneo ... male ... quam ... si vobis carere ... operam. Sentio ... me proderes ... quam ... leto (col)ens et statu mentis ... doleam ... aliud ... reperto ... apud ... tis ... sona mundum ... solver ... veritatis

(1) Ita Codex *manlui* pro *malui*. Hæc autem non pugnant cum dictis de Frontone in Epistula XII. Libri ad Pium: ibi enim meri ioci miscentur.

(2) Ita Codex. Regulariter vero diceres fere: *Sumptûs numquam prodigus fui, quæstûs interdum necessarii.*

nostra ... cum iis se indigere solacio ... Filiam ... Generum ... mes ... domo ... bis ... nunc de .. quorum ... vastitatem ... Multum et graviter valui, mi Marce carissime. Dein casibus miserrimis Nepotem in Germania (1) amisi : miserum me!

(1) Aufidius Victorinus missus est a Divis Fratribus in Germaniam contra Cattos eodem fere tempore quo L. Verus Parthicam expeditionem suscepit. Sic enim ait Capitolinus in *Marco* p. 37. B. » Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod » Vologesus paratum sub Pio, Marci et Veri tem» pore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Sy» riam tunc administrabat. Imminebat etiam Bri» tannicum bellum, et Catti in Germaniam ac Rhe» tiam irruperant. Et adversus Britannos quidem » Calphurnius Agricola missus est, contra Cattos » Aufidius Victorinus ». Quid in Cattico bello Victorinus gesserit, memoriæ non est proditum, inquit Muratorius ad annum Chr. 162. Certe filiolum in Germania amisit, sive domo vectum, sive in ipso exercitu genitum. Nam uxorem quidem habuisse secum constat ex hac Epistula. Nequis autem miretur, Victorinum trimulam prolem cum uxore inter arma gestasse, hoc etiam monebo, M. ipsum Imperatorem Sirmii in Pannonia penes se habuisse Faustinam cum filia trimula, ut narrat Philostratus in *Herode* p. 560-561. Et expeditio quidem Victorini contra Cattos certa est. Ceterum suspicari licet, Victorinum comitatum esse etiam Divos Fratres,

Decimanum (1) nostrum amisi. Ferreus si essem, plura scribere non possem isto in tempore. Librum misi tibi, quem pro omnibus haberes.

M· FRONTONIS
DE NEPOTE AMISSO
explicit.
Legi emendavi.

cum ii confecto Parthico bello ad Marcomannicum in Germaniam profecti sunt, ibique tunc a Victorino amissum filiolum. Alius Victorinus, nempe Furius, qui erat præfectus prætorio, amissus est in eo bello Marcomannico, ut narrat Capitolinus in *Marco* p. 41. C. Sed Aufidius Frontonis gener sine dubio superfuit: namque cum Commodo imp. consulatum gessit anno Urbis DCCCCXXXVI. Immo Victorinum bis fuisse consulem constat ex Inscriptione a nobis superius laudata p. 200. Iam primo quidem fuisse consulem tantummodo suffectum probabile est, siquidem deficit nota eius consulatus. Denique amplissimis magistratibus gestis (nam et præfectus Urbi fuit et Africam ac Germaniam rexit) sub Commodo sua morte obiit Aufidius Victorinus, eique defuncto statua posita est, ut narrat Dio in Excerptis Libri LXXII. 11.

(1) En nomen Nepotis amissi *Decimanus*. Neque enim aliud funus indicari a Frontone puto.

Explicit Pars prior.

